

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Prodromvs Clavis Propheticae, Triade Dissertationvm De  
Emblematibvs Propheticis Aditvm Ad Interiorem  
Scriptvrae Intellectvm Patefaciens**

**Königsmann, Andreas Ludwig**

**Kiliae, MDCCXII**

**VD18 10150463**

**urn:nbn:de:gbv:45:1-14619**




11  
r




Landesbibliothek Oldenburg

Theol II B n/25







PRODROMVS  
**CLAVIS**  
**PROPHETICAE,**  
TRIADE DISSERTATIONVM  
DE  
EMBLEMATIBVS  
PROPHETICIS  
ADITVM AD INTERIOREM  
SCRIPTVRAE INTELLECTVM  
PATEFACIENS.

---

SVBIVNCTVS EST INDEX  
DICTORVM ET RERVM PRAECIPVARVM

*AVTORE*

ANDREA LVDOVICO  
KOENIGSMANNO,  
PHILOS. PROF. P.

---

KILIAE,  
LITERIS BARTHOLDI REVTHERI, ACAD. TYPOGR. MDCCXII



REVERENDISSIMO AC SERENISSIMO  
ET DOMINO,

DOMINO  
CHRISTIANO  
AVGVSTO,

HEREDI NORVAGIAE,  
ELECTO EPISCOPO LVBE-  
CENSI, DVCI SLESVICI, HOL-  
SATIAE, STORMARIAE AC DITHMARSIAE, HO-  
RVMQVE DVCATVVM ADMINISTRATORI,  
COMITI IN OLDENBURG ET DEL-  
MENHORST,

PRINCIPI AC DOMINO SVO  
CLEMENTISSIMO,

FELICITATEM PERPETVAM  
SVBMISSISSIMA MENTE  
PRECATVR

ANDR. LVDOVICVS KOENIGSMANN.

PROF. PHILO. S. P.

EX BIBLIOTHECA  
OLDENBURGENSI



**Q**ui mos Indorum fuit Philosophorum, ut quae quotannis composuerant opera, ad Regum suorum deponerent fores, hunc equidem nunc sequor tanto lubentius, quanto me Tua, SERENISSIME PRINCEPS, indulgentia erexisti humanius, fortiusque sustentasti. Tua me clementia a pulvere Scholarum ad lucem retraxit Academiae, defenditque dignitatem, & ad ardua quaeuis alacriter aggredienda exitavit promissis. Quod cum intelligerem ad commune iuventutis commodum, patriaeque spectare utilitatem, nil quidquam ratus sum magis ab obsequio Tibi debito esse alienum, quam si non summa cura ac studio dies noctesque in id incumberem, ut, quantum possem, Tuae satisfacerem voluntati, quoque magis possem, omnia, quae comparari poterant, eo unice impenderem. Documento sit, qui iis ex laboribus velut prodromus nunc exsurgit prophetae clavis, qua maxima sacratoris Philosophiae referare docebo arcana, nec privilegia solum & officia, sed & fata regni CHRISTI designare. Is itaque ad TVAM REVERENDISSIMAM SERENITATEM ultro contendebat, & veluti properabat, quippe cuius votissimum auspicio in hominum prodierat conspectum, entaueratque famam. Nec pietas illa aduersus Deum, quae quasi innata Gottorpinae stirpi, in Te vero tanta est, ut, num magis ea virtute CHRISTIANVM, quam iustitia referas AVGVSTVM, dubitetur, aliud sibi exposcebas pignus, quam hoc ipsum de emblematis diuinis, digno  
sane





sane argumento, quod Principum tractetur manu, generosisque mentibus exerceatur. Vti enim Deo abscondere oraculum, ita Regi gloriosum esse, id exquirere, auctor est Rex ipse SALOMON, qui hac suffulcus sapientia firmavit animum, soliumque stabiliuit, & populos rexit feliciter. Cuius cum imitaris illustre exemplum, religionemque stimulatus & publica salute, quae incolumis esse non potest literis extinctis, sanctissima haec mysteria & aestimas ipse ac celis, & strenue tueris aduersus temeritatem improborum, tum sane ita mereris de civibus Tuis, ut alia ratione uberius haut possis. Quare ad Tuos iam pedes has qualescunque deferro commentationes, fidei industriaeque meae nouissimas testes, easque ut serena, hoc est, solita tibi excipias fronte, meque ulteriori Tua clementia digneris, demississime oro atque rogo. Quod si feceris, (facturum autem spero planeque confido,) summam adeptus votorum, laetabundus fungar partibus meis, inque eo ero totus, ut & ipsum opus, & alia deinde limatiora succedant, nec a me quidquam negligatur eorum, quae ad prouebendum Academiae huius decus videbuntur pertinere. Seruet Te interim Deus rebus nostris, prosperet consilia, regimen felicitet, ac nunquam non florere ac vigere domum Gottorpinam patiatur! Dabam in Academia Kiloniensi XI. Cal. Decembr, anno cl<sup>o</sup> lcccxi.

PRAE.



# PRAEFATIO AD LECTOREM.

**E**<sup>ρις με εχει τω Προφητων</sup>, ut de se quondam JUSTI-  
NVS Martyr (a) loquebatur, nec me quidquam  
mouent voculae eorum, qui nescio qua mentis cae-  
citate impulsī, illorum studio non adeo opus esse garri-  
unt ad sapientiam coelestem propagandam. Sociniano-  
rum hoc est maxime inuentum, parum curandum esse  
statuentium, quid de Dei cultu isti dixerint viri, ut toti-  
dem verbis SMALCIVS (b) affirmat. Nimirum ut de-  
fendant modo, aliam fuisse in veteri testamento beatitudinis  
adipiscendae rationem, quam in nouo, in quo demum  
docent de Christo vitaque per eum consequenda proditas  
esse promissiones, excussas adeo ex manibus nostris vel-  
lent, si possent, prophetias. Ex quibus si non est ad salu-  
tem necessarium, patrum aduentum Christi antegresso-  
rum nosse fidem, ut Arminiani (c) quoque aiunt, est tamen  
ad intelligenda oracula Dei, ad tuendam communitatem  
redemptionis Christi, & ad cognoscendum praesentem re-  
gni eius statum omnino necessarium, ut solide e nostrati-  
bus KOENIGIUS (d) demonstrauit. Vna est enim re-  
ligio ecclesiae inde a praeuaricatione prima Adami usque  
ad hodiernum diem, eritque, dum erit mundus, quam-  
uis variae sint eius formae, variaeque diuersis tempori-  
bus vicissitudines ac fata. De utroque ita locuti sunt  
Prophetae, ut vetus testamentum non esse appareat nisi  
occultatio noui, nec nouum, nisi patefactio veteris, quem-  
admodum ait AVGVSTINVS, (e) tantaque eorum in-

(a) *dial. cum Tryph. Jud.* (b) *lib. aduersus noua monstra Smiglec. p.*  
79. (c) *in confess. cap. XI. eiusque apolog. p. 110. f.* (d) *diss. de natura*  
*V. T. praef. (e) de vera relig. c. XVII.*



monumentis inest veritas ac vis, ut, qui ipsorum negligere cabbalam velit, (ita ea vocabant Judaei (a)) nae is nimium in maiestatem Dei seque ipsum iniurius foret, censendus. Quin potius significatio Scripturae sacrae, quae non videtur necessaria, indaganda est solerti lectori, ut contra Faustum scribit AVGVSTINVS. (b) Non sane super Apostolorum modo, sed & super Prophetarum exstructi sumus fundamento Eph. II. 20. quorum id propter effata non incuriose praeteruehi, sed sollicita cogitatione r editari nos iubet CHRISTVS Matth. XXIV. 15. LV-CAS Act. XVII. 11. Judaeos illos Berhoenses eo praedicat Thessalonicensibus generosiores, quod auditis PAVLI & SILAE doctrinis, quotidie exquisierint in Scripturis, an eae sic haberent? Cumque PETRVS firmiorem ipsa quoque visione montana commendasset propheticum sermonem, in hunc, inquit, recte facitis, si estis intenti, tanquam in lucentem obscuro in loco lucernam, donec dies illucescat, & lucifer oriatur in animis vestris. Neque enim profecto propria hominum voluntate edita sunt oracula, ut ne bis integrum esset, ea legere ac scrutari, vel non, sed sancti Spiritus instinctu acti sunt Prophetae ad vaticinationes 2. ep. I. 19. s. quas ideo plerumque hac auspicati sunt formula: **יְהוָה אֱמַר** / Quid ergo ais, homo? Deus dixit: & tu audes dicere: nulla est dictorum utilitas, nulla necessitas? (c) Imo vero singulos sermones, syllabas, apices & puncta in diuinis Scripturis plena esse sensuum diuitiis, cum HIERONYMO (d) & IOH. CHRYSOSTOMO (e) pronunciamus, eoque tanto diligentius omnia,

per-

(a) Halich. Olam p. 51. (b) lib. II. (c) Ioh Chrysofi. de verb. Es. Vidi Dominum hom. II. (d) in Eph. III. (e) hom. XXI. & XXIV. in Gen.



perquirenda, quanto ad haec usque tempora a temerariis hominibus corrupta sunt turpius, & impetita proteruius. Judaei, Chiliaetae, Anthropomorphitae soli literarum corpori adhaeserunt: Allegoristae, Mystici veteres & Fanatici spiritum sectati sunt praepostere, humanos lusus inuentis miscentes diuinis. Stolide multa interpretati sunt Pontificii, & qui hos secuti sunt, communes Postillatores, quorū post FRANZIVM, TARNOVIVM, DANNHARVERVM, nuper denuo specimina protulit LOESCHERVS. (a) Nulla vero ratione magis quam nouorum Prophetarum commentis autoritas diminuitur antiquorum, tum si illos pari cum his loco habeamus, tum si neque horum capiamus veram mentem, neque illorum agnoscamus  $\psi$ ευδερμηνειας, atque adeo ipsi comprobemus. Has autem ut effugiamus syrtes, non sufficit omnino ex commentariis sapere, qui sunt ab hominibus facti: sed ipsos oportet Prophetas habere familiares, & velut coram cum iis colloqui. Quod si per interpretes id faciamus, auribusque audiamus alienis, tantum abest, ut certo cognoscamus sensa Dei Virorum, de iisque plene conuincamur, ut potius in inscitiam incidamus grandesque errores, eoque pro diuinis cogitatis venditemus nostra. Duo autem reperimus, cum sacras eorum tabulas inspicimus, genera loquendi, proprium & figuratum, in quo emblemata excellent, lumina illa inter metaphoras, allegorias & aenigmata Scribrae omnium illustrissima, optimoque a Deo consilio eo comparata, ut nostrae quoque per ea consuleretur infirmitati. Neque vero haec in dictis solum inuenimus, sed & in factis veterum Prophetarum, atque adeo in tota veteris nouique foederis historia gestorum. unum quippe semper pingit ac repraesentat alterum, non secus ac ima-

(a) in Scylla & Charybdi.



go speculi faciem eius, qui inspicit. Haec tantum est dif-  
 ferentia : in dictis ipsa verba significant rem aliam, quam  
 litera sonat, in factis vero res, verbis significatae, rem a-  
 liam respiciunt, manente interim uno verborum natiuo  
 significatu, ut nos praeclare pridem docuit LVTHE-  
 RVS. (a) Quod autem emblemata dictis significant, id  
 & adumbrant factis expressa: lagena Jer. XIII. 12. ff. &  
 XIX. 10. ciuitatem irae diuinae obnoxiam, panis Ioh. VI.  
 11. 27. ff. Christum in euangelio oblatum significat, & in  
 dictis, & in factis. Mira hic est concordia & incredibilis  
 sapientia, quae elucet ex utrisque, si quis aduertat ani-  
 mum, & veros utrorumque percipiat significatus. Qui  
 cum non pelluceant statim negligentibus ac imperitis,  
 hos intelligere e Judaeis MAIMONIDES, (b) e nostrati-  
 bus GERHARDVS (c) clauem esse iudicarunt uniuerso-  
 rum, quae Prophetae dixerunt, addo & quae fecerunt, ut  
 Prophetae. Et recte quidem. Quis enim, nisi norit, quid  
 coelum cum sideribus, quid terra, maria, montes, nubes,  
 ignis, metalla, plantae, animalia, quid arces & turre,  
 templum & sacrificia, quid Israel, Hierosolyma, Tyrus  
 & similia denotent Prophetis, ea intelliget oracula, in qui-  
 bus ista ut emblemata occurrunt. Quis mentem satis  
 diuinabit JEREMIAE, cum iugum ligneum de collo  
 suspenderet, c. XXVII. f. aut CHRISTI, cum maledice-  
 ret ficui, ut arefceret Matth. XXI. 19. nisi quid iugum  
 signet, quidque ficus eiusdemque arefactio, pateat. Et  
 ut de visionibus quoque vel verbo moneam, quis myste-  
 rium cognoscet Dei, cum AMOSO aestiuos in corbe  
 fructus VIII. 1. ff. PETRO autem quadrupedes offerret  
 in

(a) tom. I. Jen. Germ. f. 431. b. (b) More Neboch. part. III.  
 c. 47. (c) tract. posth. de chiliafmo c. 11. p. 25.



in linteis, Act. X. ii. ff. nisi, quid aestiui fructus qua-  
drupedesque symbolice denotent, ipsi constet. Qui //  
modo linguam callet Hebraicam & Graecam, & statum //  
nouit diuersarum, quibus lex & gratia dispensata fuit, //  
oeconomiarum, probeque ubiuis attendit loquenti Deo, //  
is caetera omnia intelliget facile. At imagines ab his //  
discernere legitime, & ex re ac vero ita explicare, ut //  
non ipse solum certus sis de sensu Spiritus S. sed & alios //  
iusta conuincere demonstratione feliciter queas, hoc o- //  
pus, hic labor est. Neque enim id ipsum, quod dici- //  
tur, sed aliud intelligendum, neque tamen quidquam //  
indulgendum est nostrae imaginationi, sed menti in- //  
haerendum ipsius Dei, institutoque Prophetarum, //  
etiamsi nobis nulla conueniendi ratio forte appareat, //  
cunctaque ex genio populorum, ad quos conuersa ora- //  
tio fuit, & ex ratione oeconomiarum argumentorum- //  
que diuersitate aestimanda. Haecenus namque valet, //  
quod monet AVGVSTINVS, (a) periculosum esse, //  
rationibus exponere sacra, & non autoritate, quippe //  
quae, ut alibi (b) scribit, maior est in diuinis Scriptu- //  
ris, quam omnis humani ingenii capacitas. O quam //  
longe a regia hac via aberrant multi, non nisi alienis //  
commentatorum & postillatorum cerebris adfueti, ipsi //  
vero nulla politiori literatura imbuti, qui, ubi emble- //  
ma audiunt tropice exponi, quasi in historia aut dogma- //  
te clamant, a litera non esse recedendum, & ubi vel ma- //  
xime ipsi emblemata agnoscunt, ex suis saepe opinionibus //  
plane contra sententiam Dei eiusque Virorum illud //  
interpretantur. Haec itaque me impulit ratio, ut eo //  
de genere sermonis aliquas meditarer commentationes,

(a) de D. C. III. 28. (b) de Gen. ad lit. II. 51



quibus viam praemonstrarem ad cognoscendam etiam  
sub inuolucris ac umbris occultatam sapientiam Dei, ac  
salutarem voluntatem. Obtulerunt se huic proposito  
adiuuando tres commilitones lectissimi, ornatissimique  
doctrina ac virtute, NICOL. HENR. KLIPPIVS, Sles-  
seuicensis, JOH. ERN. HOHENHOLZIVS, Gettor-  
pa-Holsatus & JOH. SIBBERSENIUS, Coldenbuttela  
Eiderostadiensis, omnes sacrorum antistitibus meritissi-  
mis prognati, cultores diuinarum literarum indefessi.  
Qui cum vestigia parentum legentes, non se rectius i-  
nitiatum iri crederent prophético muneri, olim in ec-  
clesia gerendo, quam si noscendo quoque prophético  
stylo aliquam insumerent temporis partem, ita dispesci  
operas cupiuerunt, ut ille emblematum propheticorum  
naturam; iste quaestionem eo pertinentem: an omnia  
Prophetarum oracula secundum literam sint intelligen-  
da? hic denique modum discernendi emblemata a pro-  
pria locutione, riteque interpretandi, una mecum pu-  
blice assereret, ac disputando vindicaret. Accinxi me  
ergo ad opus tanto alacrius, adiunctaque ei historia,  
distincte enarraui, quid in hoc genere olim Iudaei, quid  
Patres Christiani, Theologique nostrates & exteri, An-  
gli inprimis & Belgae, usqueadhunc praestiterint diem.  
Ipsam autem doctrinam sic pertractaui, ut singula, ex  
iustis demonstrata fundamentis, perpetuis insuper de-  
clararem exemplis, & sicubi opus fuit allegare scripto-  
res, veteres praesertim ecclesiae nostrae Theologos lau-  
darem, ut, quousque hi iam processerint, quodque no-  
bis reliquerint spatium emetiendum, liquido perspice-  
retur. Neque enim ultra censui tolerandum, ut de cul-  
ta apud se emblematum doctrina soli gloriarentur exte-  
ri



ri & Belgae, qui eius prima fundamenta non diffiten-  
tur nostris a maioribus se accepisse: modo eorum ve-  
stigii & nos constantius institissemus. Hinc voces quo-  
que artis nostratum loquendi modis, communiter rece-  
ptis, omni cura attemperavi, ut, quantum fieri posset,  
vitarem obscuritatem, si modo vel sic feliciter satis po-  
tui vitare. Dicit enim non potest, quot quantisque am-  
biguitatibus obnoxiae hic sint notiones literae, sensus,  
proprietas, figurae & similia: quae si modo curati-  
us tollantur, plurimae de his rebus controuersiae dissen-  
tientesque opiniones recident ad *λογομαχίας*. Ipsa vox  
emblematum modo pressiori sumitur significato, & sic  
differt a parabolis & typis, modo ampliori, & sic ab iis  
non differt, sed emblemata sunt in ipsis parabolis, & ipsi  
typi sunt emblemata. Quibus si ea quoque comprehen-  
dere velis, quae nominato capite indicant quoque vel  
adumbrant membra, qui perquam familiaris est mos pro-  
pheticae Scripturae, emblemata ea erunt superiora signa-  
tis, quae alioqui inferiora esse docui. Caeterum rem  
ipsam uniuerse spectatam perspicue, opinor, exposui, &  
quasi in clara luce collocaui, nisi quis forte velit mero  
obtrectandi studio nodum quaerere in scirpo. Sed ta-  
men & hoc ingenue nunc fateor, me primo hoc impe-  
tu totum argumentum, amplum sane nimis ac graue,  
nondum exhaustisse, & complura, quae latius mereban-  
tur ostendi, vel breuiter tantum indicasse, vel plane o-  
misisse, ut de varietate emblematum secundum varietate-  
m oeconomiarum, de diuersis, quibus Deus emblemata  
in Scriptura proposuit, modis, diuersisque gradibus,  
quibus interius in animo suo emblemata cognouerunt  
ipsi Prophetae. CLERICI quoque nuperis commentis  
pleni-





plenus respondissem, nisi veritus essem merito, ne in maiorem, quam modus admittit dissertationum, molem excresceret hic labor; si doctrinae, ad faciliorem prophetiae intellectum unice directae, addere voluissem vindicationem, una cum reliquis secundis a me curis reservatam. Constitutum enim mihi est, si vitam viresque concesserit Deus, perfectiorem aliquando suppeditare clauem prophetiae, qua ut integrarum orationum emblematicarum & parabolarum, tum actionum & visionum propheticarum somniorumque diuinitus immisforum, abstrusa referari arcana, distinguique possint temporum periodi fatales, planis breuibisque praeceptis efficere conabor & exemplis. Interim hunc veluti prodromum eius operis praemittere nunc volui, cui si quis adiungere volet dissertationem ad Matth. XXIV. 29. ff. Marc. XIII. 24. & Luc. XXI. 25. ff. de iudicio Regis Christi aduersus rebellem ecclesiam Iudaeorum, ut typo iudicii in ecclesiam Antichristianam & uniuersam terram, ante annum a me editam, illustre habeat emblematum exemplum. Propediem quoque clauem Prophetarum vernaculam dabo, ex scriptis LV THERI in usum omnium, etiam indoctorum, qui intelligere cupiunt Prophetas, ita adornatam, ut & integra habeatur emblematum doctrina, & lexicon exstet propheticum, quo uti quilibet cum fructu possit, quotiescunque legenti Scripturam, Prophetasque volenti difficultas aliqua occurrit. Faxit Deus Opt. Max. ut cognitione veritatis crescamus indies, luceque, diuinitus promissa ultimis temporibus, collustremur magis, & ad vitam perducamur sempiternam!

DIS-





DISSERTATIO I.

DE

EMBLEMATVM PROPHE-  
CORVM CONSTITVTIONE.

SVMMA CAPITA.

§. 1. De studio styli prophetici merita veterum Theologorum & recentium. §. 2. Qualenam fuerit ille stylus? §. 3. Emblemata quid & olim notauerint, & hodie notent oratoribus ciuilibus? §. 4. Emblemata parabolarum Christi otiosa, ab Hermeneutis admissa, an habeant locum? §. 5. Exempla, ex parabola de filio perduto praecipue afferri solita, exponuntur. §. 6. Emblemata Prophetarum definiuntur, eorumque natura distinctius describitur. §. 7. In simplicia & composita, manifesta & vulgo ignota diuiduntur. §. 8. Distinguuntur a mysteriis seu typis, & parabolis, & quomodo ex eorum contextu allegoriae & aenigmata efflorescant, ostenditur. §. 9. Differentia emblematum, maxime propheti-  
corum, a tropis communibus propius monstratur. §. 10. Ea autem dari, ratione probatur & inductione exemplorum: ubi, an ad vsus styli semper pertineant? contra Boylium disputatur. §. 11. Auctoritates Theologorum, qui ea pridem agnouerunt, & explicarunt. §. 12. Ad gloriam Dei ea pertinere, ex Prou. XXV. 2. docetur. §. 13. Causae propiores arcessuntur 1. ex genio populi Hebraei, & caeterorum ad orientem, §. 14. quorum in his consensus ostenditur. §. 15. 2. ex conditione oeconomiae veteris testamenti: §. 16. unde, cur & in nouo talia occurrant? disquiritur. §. 17. 3. ex natura rerum sacrarum, quarum diuersa indoles diuersum poposcit stylum. §. 18. Varia emblematum genera recensentur. §. 19. Etiam in rebus actibusque nonnunquam emblemata dari, exemplis utroque testamento confirmatur. §. 20. An in verbis a litera sit discedendum? hinc decernitur. §. 21. Scopus emblematum quis fuerit, contra Iudaeos recentiores disputatur. §. 22. Vsus varius illustribus exemplis docetur.

A

§. 1.





Vam folicite dudum maiores nostri in naturam indolemque prophetici inquisuerint styli, qui in Scripturis adhibitus fuit, ut eius proprios designare possent characteres, non opus est multis hic exponere verbis, cum ipsa illorum vere aurea monumenta id comprobent abunde. Longum foret vel recensere, quae hanc in rem ipse primum LV-  
THERVS in praefationibus & commentationibus suis prophetis, deinde FLACIVS & FINCKIVS in clauibus Scripturae, FRANZIVS in libro praeclarissimo de eius interpretatione, GLASSIVS in Philologia sacra, & qui aberratione Heilandi excitatus, hoc argumentum singulari opera persecutus est, GERHARDVS in tractatione posthuma de chiliafmo, & altera de legitima interpretatione Scripturae sacrae, & CHEMNITIVS in collegio Theologico de sensu Scripturae S. salutariter passim monuerunt. Quin adeo gnauiter veteres, nominatim LAMBERTVS, BVGENHAGIVS, BRENTIVS, MATHESIVS, REGIVS, DRACONITES, CHY-  
TRAEVS, SCHNEPFIVS, HAFENREFFERVS, GESNERVS, VARENIVS, TARNOVII, SCHMIDII, OSIANDRI aliique, scriptis Prophetarum utriusque testamenti explicandis, quaerendoque in iisdem Christo, suo iam aeuo insudarunt, ut ab iis ipsi didicerint Bataui, hodie in hoc genere tam clari, neque id diffiteantur. (a)  
Quo magis dolendum est, post exortas in nostra ecclesia barbariei Scholasticae spissas tenebras, de quibus nuper protuli

(a) Vid. Benthem. im Holländ. kirch- und schulstaat part. II. c. 3. p. 138. f.



protuli Theologorum iustas querelas, (a) a pluribus tum  
studium propheticum uniuersè fugi, tum & speciatim  
symbolorum notiones ut peregrinas negligi, ac nuper  
demum inuentas. Illis iam dudum LVTHERVS (b)  
satisfecit: his occurrit GERHARDVS, eo usque pro-  
gressus, ut fontem hunc esse statueret maximorum er-  
rorum, si quis omnia Prophetarum effata velit secun-  
dum literam interpretari, (c) quod indignum est hodie  
in tanta praesertim literarum luce credi. Jam diu enim  
est, quod e veterno homines nostros excitauit, & a ludi-  
cris ad seria reduxit HVGO GROTIVS, vasti vir in-  
genii, & ad ardua quaeuis natus. Ex quo enim hic mo-  
do Judaeis patrocians, modo adblandiens Romanis,  
Christum fere tollere e Prophetis, Pontificemque Ro-  
manum odioso Antichristi nomine conatus est liberare,  
eoque plurima ad Christum & Pontificem, tanquam  
Antichristum, rectè relata, in alia omnia rapuit: variis  
se illi scriptis Theologi passim opposuerunt, eamque ob  
causam resumserunt studium propheticum, & emble-  
mata curatius inspexerunt. Fecit id inprimis e nos-  
tratis CALOVIVS, e Reformatis COCCEIVS, qui &  
ipse a suis pariter ac nostratibus ad examen vocatus est,  
eo quod nimium hic fecisse videretur. Cum autem nos-  
tratum multi nimis saepe parum hic faciant, ideo ut me-  
dia rectaque incedere discamus via, initio stylum pro-  
pheticum uniuersè spectemus.

§. 2. Non erravit FRANC. RIBERA, (d) cum  
A 2 scri-

(a) vernunftmäß. untersuchung p. 15. ff. (b) tom. V. Jen. Germ.  
f. 80. b. praef. in Proph. Dan. & Apoc. (c) de chil. c. II. p. 16. ff.  
(d) in Nab. II. num. 65.



scripsit, miram esse dictionis propheticæ cum poetica similitudinem, quod & VRSINVS (a) approbat suo calculo. CALIXTVS (b) quoque oracula vatum istiusmodi docet proponi genere dicendi, quod non abludat a magniloquentia poetica, & caractere epici carminis. Talia enim, inquit, animum & velocius subeunt, & fortius percellunt, & in memoria tenacius haerent: taceo, quod arguant maiestatem eius, cuius instinctu & nutu vaticinia eduntur. Hinc daemon, finium diuinorum operum agere pridem solitus, sua quoque oracula metro plerumque edidit: quo cum coepisset Pythia abstinere, eius rei causas peculiari in libro exquirat PLV-TARCHVS. Quin tanta est prophetiæ cum heroico carmine conuenientia, ut Homerum quoque, patrem illum Vatum apud Graecos, Prophetas secutum esse, eorumque flores suo seruo implicuisse, CAPELLVS (c) ostendere nisus sit & BOGANVS: (d) quos tamen falli bene putata re statuimus. Jam cum Poetis Vatisque solemne sit prodesse simul ac delectare, utileque miscere dulci, non longe dispiciendum, unde frequentia illa emblemata sint Prophetarum, magnificæque bellorum, victoriarum, excidiorum descriptiones, quibus coelum obscurari, sol & luna deficere, astra cadere dicuntur. Neque enim aperte tantum & per planas voces, sed & abstruse multa per symbola, multa etiam mixtim expresserunt, quibusdam ad verbum, aliis ad sententiam pronuntiatis: ut PROCOPIVS etiam GAZAEVS, (e)

BEDA,

(a) *Anal. sacr. vol. II. lib. 4. c. 3. p. 203.* (b) *proem. in Proph. fin.* (c) *l. IV. vindic. pro Casaub.* (d) *in Homero hebraiz.* (e) *in Es.*



BEDA, (a) & LVTHERVVS noſter (b) dudum obſeruarunt. Paucis dicam id, quod ipſa nos inſpectio uſusque docent: ſtylus propheticus ex propriis translatisque & figuratis vocibus compoſitus, variisque ſubinde emblematicis interſperſus ac diſtinctus, & ita ſapientiffime temperatus eſt, ut ſe omnium utilitatibus accommodet, ac imperitis quidem praebeat προχειρον διανοίαν, ſtudioſis autem νοου γυμναſίαν. Qui cum haut leuem in emblematicis experiantur difficultatem, horum iam praecipue conſtitutionem paulo proprius conſiderabo.

§. 3. Emblemata, ut vocem primum explicam, & a multiplici liberem ambiguitate, proprie & apud CICERONEM (c) ſaepe id omne appellatur, quod ornamentum cauſa inferitur rebus, ut gemma annulo, vel potius poculo aut vaſi ex alio metallo aurum, quod inde rurfum detrahi, ac reponi innoxie poteſt. Vnde apud iuris conſultos quaefitio exorta: ſi cui argentum legetur, an emblemata aurea, quae in eo ſunt, eum ſequantur? (d) Quod ſi ligno haec adaptentur, ſegmentata; ſi pauimento, teſſellata; ſi parieti, opera vocantur vermiculata. Hinc vero deinceps ea notio transferri coepit ad ornamenta orationis, vt videre eſt apud QVINTILIANVM, (e) nec ſine ratione, praecipue ubi non ſolum illuſterioribus iſtiusmodi domuum ſpatiis inſculpebantur, ſed & fornicibus & porticibus atque adeo viis regis adſcribebantur ingenioſae dictiones: quibus modice adſperſis oratio fulget, uti coloribus pantedarba.

A 3

(a) praef. in psalt. (b) tom. I. len. Germ. f. 550 b. tom III. f. 482 b. 519. a. & praef. in Es. (c) in Verr. VI. (d) Celsus lege XIX. §. 5. Digest. de auro & argento legato. (e) Instit. orat. II. 4.



tarba. Qui mos sane perantiquus fuit, cum & Prophe-  
 tarum orationes velut *ἐπιγραφαί* publicis inscriptae tabulis  
 praetereuntibus exhiberentur. (a) Hancque ob causam  
 excellentia quaeuis monita, inprimis vitae, per figuras  
 proposita, ut aliquam legentibus suppeditarent scrutandi  
 rimandique materiam, *παροιμιαί* nomine Graecis vene-  
 runt, ut IOHANNI X. 6. & PETRO 2. ep. II. 22. He-  
 braeis vero eadem non solum *חֵרֶת וְרֹחַ מְשָׁלִי* sed etiam  
 sunt dicta, ut SALOMONI Prou. I. 6. quae tamen non  
 semper allegorica fuerunt, aliud sonantia, aliud intelli-  
 gendum exhibentia, ut alias (b) fusius ostendi. Sed  
 nostra ac superior aetas, externi cultus ac splendoris  
 haut paulo curiosior facta, magis restrinxit eius vocis  
 significationem, ut iam emblemata rhetoribus ciuilibus  
 sit peculiaris ingenii foetus, a symbolo multum diuersus,  
 quo nomine olim Principis alicuius illustrem sententiam  
 denotabant, crebrius in ore habitam, aut pulchrum  
 Philosophi praeceptum, aduersus profanos ambagibus  
 inuolutum: cuiusmodi erant illa PYTHAGORAE, a  
 Chaldaeis & Aegyptiis edocti, a plurimis scriptoribus  
 recitata, varieque exposita. Nimirum emblemata hodie est  
 imago, sententiam exprimens de moribus formandis,  
 hominumque vita, cuius ad perfectionem inscriptio per-  
 tinet & epigramma, quod explicat rem totam, & eti-  
 am abesse potest. Symbolum autem, quod scutis He-  
 roum debet natales suos, figura est cum breui & acuto  
 lemmate, certum animi decretum, propositumque rei  
 laudabilis aggrediendae, signate atque venuste adum-  
 brans:

(a) Hab. II. 2. (b) *diss. de malis pastoribus ad Iob. X. 1. ff. §. 2.*  
 p. 3. ff.



brans: cui nonnunquam etiam subscriptio adicitur, quae explicet picturam & eius proprietatem, autorisque mentem. Plena discordiarum haec est materia, nihilque eruditos fatigavit magis: quod hic emblemata, ille symbolum vocavit, animamque emblematis HENR. A. PETRA SANCTA (a) dixit inscriptionem, imaginem ipsum corpus: contra JAC. MASENIVS (b) id improbavit tacite, & imaginem animam, inscriptionem affirmavit esse corpus. Praeterea quas aliqui praescribere leges, his alii noluerunt teneri, ipsique non raro in suas leges peccarunt legislatores. Non equidem in praesentia istas componam lites, praecipue cum ad eas definiendas operam suam pridem ex ipsis Italis, in hoc genere facile principibus, EMANVEL THESAURVS, (c) e nostris vero OMEISIVS (d) certatim contulerint. Id tantum nunc adnotabo, quamvis emblemata sanctorum Prophetarum alterius sint naturae, illis tamen simile quidpiam in visionibus reperiri, quibus interdum quidem non additur, interdum autem & additur interpretatio, ut LVTHERVVS (e) observavit, & BALDVINVS. (f) Ostendebat DEVS AMOSO VIII. 1. f. corbem fructuum aestiuorum, mirantique spectaculum haec addebat verba: כאן יבוא ענבי ישראל / aduenit finis populo meo Israeli. Hic & imago est, & dictum additum, idque tum si voces spectes, tum si ipsas quoque res, insigni quadam similitu-

(a) lib. de symbolis (b) in speculo imaginum veritatis occultae. (c) Id. arg. & ingen. dist. c. XXIV. p. 634. ff. quam tractationem Wagenfeilius exercitationi peculiari de hoc argumento totam inseruit. (d) exerc. de symbolo heroico. (e) praef. in Apoc. (f) id. dispos. bibl. c. XI. p. 41.





litudine cognatas, admodum argutum. Nam  $\psi$  aestas, si leuiter mutes elementa, est  $\psi$  finis. Tum JOEL quoque III. 13. & CHRISTVS Matth. XXIV. 32. figuram aestatis adhibet & messis, instantem significaturus finem Hebraicae oeconomiae, cum initio coniungendum Messianae, quo Deus igne iracundia sua accenso inflammaturus esset rebelles, & gentes excitaturus, quae immitterent falces, vbi maturuisset messis: fidos autem ciues suos, oriente inter haec clarius sole ipsorum Christo, vindicaturus, quo, tanquam in aestate (loquor secundum Iudaeorum computationem) meterent cum cantu, suosque DEO Regi sacros manipulos ferrent. Pf. CXXVI. 5. f.

§. 4. Deinde vero alia ab Hermeneutis acceptio frequentatur huius vocis, quandoquidem emblemata, eas nuncupant voces aut sententias, quae in parabolis, etiam ipsius CHRISTI, vltra argumentum praecipuum ornatus ergo innexa sunt caeteris, atque ita implicata, vt a pictoribus prata, fluuii, montes & siluae interspergi veris iconibus solent. Cumque ea nonnisi obiter adiecta censeantur, vt elegantiozem redderent faciem orationis, maiorique amoenitate pascerent legentium animos, idcirco vulgo, autoritate JOH. CHRYSOSTOMI (a) abusi, eorum aiunt non esse adaptationem inuestigandam, quae etiam mens est JOH. SPENCERI. (b) Sed talia emblemata, nihil significantia, iam alias (c) ostendi saepius, in parabolis non dari, praesertim

(a) hom. LXIV. inc. XX. Matth. (b) de leg. Hebr. rit. l. 11. p. 161. (c) Vid. diff. de parab. propb. §. 16. p. 18. & de diuine epist. l. 1. §. 4. p. 7. f.

tim in prophetis CHRISTI, nisi forte diuinam eius (at quanti Oratoris!) eloquentiam infra humanum deprimere facundiam velis, in qua sane summo id vitio habetur, si multa fiant verba, quorum sit inanis sine mente sonus. Factum id fuerit in parabolis Talmudicis, reliquisque recentiorum Hebraeorum: at a CHRISTO praeter propositum dictum est nihil, nihil quod non habeat foecundissimos significatus, sensuque profundissimo sit plenum, cui rei veritas exactissime respondeat. Valeat & hic illud GREG. NYSSENI: (a) si sic habet, vox vacat: dicere autem, verbum aliquod in Scriptura redundare, est graue nefas. Indignum merito, si Domino ac Deo Prophetarum locutionis aliquando iusto liberalioris veniam nos debere, existimemus. Hominum inertiae ac tarditati hoc tribuendum, quod non potuerint percipere omnia, & ad quid in singulis respexerit CHRISTVS, definitum dare: unde ex uno errore, ut fieri consuevit, ad alios multos, eosque temerarios sunt progressi. Ideone vero plane omittenda sunt ea, quod a multis nondum fuerint intellecta, & imo omnes voces, literae omnes tanto sunt diligentius perscrutandae. Nihil est difficile eis, qui in Scriptura versantur, quemadmodum decet, ut ait CYRILVS Alexandrinus, (b) & quanto magis quisque in ea assiduus fuerit, tanto uberiores inde intelligentiam capit, ut scribit ISIDORVS. (c) Ipse quidem GLASSIVS (d) emblemata agnoscit quoque: sed ea tamen non statim pro inutilibus aut otiosis parabolarum partibus habenda cen-

B set:

(a) hom. I. in illud: faciamus hominem. (b) l. IX. contra Jul. (c) l. II. de summo bono. (d) Phil. sac. II. p. m. 348. f.



set: quin adeo licere eorum accommodationem tentare, scribit PFEIFFERVS (a) noster, quatenus eam scopus & medulla parabolae, & fidei admittit analogia. Adde, oportere adeo id facere, si satisfacere iis velimus praeceptis, quae nos non solum scrutari iubent, & mente pernoscere Prophetas Joh. V. 39. Matth. XXIV. 15. sed & eorum capiti CHRISTO praecipue attendere Deut. XVIII. 15. 18. f. Matth. XVII. 5. Col. III. 16. Luc. XV. 11. ff. quo demum facto apparebit, nihil ab eo frustra dictum esse.

§. 5. Consideremus, quae in parabola de acolaſto Luc. XV. 11. ff. ultra primum scopum de terra exotica, de meretricibus, domo villici, ſuibus & filiquis, vitulo ſaginato & ſymphonia, tanquam otioſa, afferuntur, & num talia quoque ſint, diſpiciamus. Aut nihil video, aut ea omnia peculiari ſua gaudent relatione, ad rem ita accommodata, ut ſine iis non ſit diſtineta ſatis diuiniſſimi argumenti idea, quod eo maxime tendit, ut defectio gentium receptioque in eccleſiam, indeque oriturus Iudaeorum liuor praefignificetur. Regionem longinquam v. 13. terram eſſe gentium, in qua vixerunt remoti a re publica Iſraelis pactique promiſſis, tum ex tota hiſtoria, tum & ex diſertis PETRI Act. II. 39. & PAVLI Eph. II. 12. 13. 17. testimoniis patet. Meretrices & fornicatio cum eis v. 13. 30. quid aliud quam diſſolutam gentium ac impiam ſignat vitam, cultumque idolorum cum idololatriſ? Jer. II. 22. ff. Ezech. XVI. 15. ff. 32. ff. Hof. IV. 15. ff. IX. 1. Nah. III. 4. Apoc. II. 20. XVII. 2. XVIII. 3. XIX. 2. Domus villici non memoratur in contextu, ſed quod is *ασωτος* uni ciuium adhaeſerit profanae regionis v. 15. quod ſi ita fuerit interpretatus, ut ſpiritu ſe addixiſſe dicam,

(a) *Theſ. herm.* p. 183.

cam, in incredulis operanti Eph. II. 2. sectaeque se tradidisse profanorum Philosophorum crucis Christi inimicae, nihil sane mihi videor a re praesenti alienum dixisse. Sues autem v. 15. non tantum hominum brutorum uniuerse, sed etiam speciatim deterrimorum inter eos esse emblema, vel PETRVS 2. ep. II. 22. nos docebit: conferantur tamen Ps. LXXX. 14. Prou. XII. 21. Ef. LXVI. 17. Hinc, si quae fuerint siliquae v. 16. non facile quis intelligat, legat CYRILLVM Alexandrinum. (a) Fabulae erant, & nugae humanae sapientiae ornatusque inanis verborum, animam delectantium quidem, sed parum alentium. 1. Cor. I. II. passim. Idem & quis sit vitulus saginatus v. 23. pulchre declarat: Christus sane, inquit, qui est inculpatus ille agnus, qui tollit peccatum mundi 1. Petr. I. 19. Joh. I. 29. mactatusque est, & comeditur a fidelibus, in veteri testamento victimis praefiguratus, in nouo autem ipse in euangelio propositus. Quis enim ignorat, Christum, bonaque omnia cum eo oblata, sub imagine lauti conuiuii exhiberi a Prophetis? Ps. XXIII. 5. Prou. IX. 1. ff. Ef. XXV. 6. Matth. XXII. 2. 4. Luc. XIV. 16. Denique ut nec symphoniam v. 25. tacitus praeteruehar, laetitiam ea denotat Ps. XXX. 12. f. Thren. V. 14. f. gaudiumque temporis noui testamenti, quod totum est festum ac solemne Ps. XVI. 11. XLV. 16. Ef. LXI. 10. 1. Cor. V. 8. hincque ortos concentus piorum Ps. LXVIII. 4. ff. 25. CXVIII. 14. ff. Ef. XLII. 10. Apoc. V. 9. XIV. 2. XV. 3. Iinde ab initio in tanta diuinarum dotium diuersitate 1. Cor. XII. 4. ff. concordissimorum. Act. II. 42. ff. Ecquid aliud sunt illi psalmi, qui-

B 2

bus

(a) Cat | Gr. Patr. in b. l.



bus adiectum Halleluah legitur, DEVSque citharis collaudatur, & testudinibus, quid imprimis psalmus XXIV. & similes, nisi symphoniaca carmina, in honorem Christi, conuersionem gentium, amplificationemque decantata regni Messiani? Sed non possunt haec tam commode separatim euolui, quam si coniunctim in tota spectentur parabola structura, & cum historia sacra conferantur. Idem quoque de discrimine horarum Matth. XX. i. ff. statuendum, utpote quod diuersa oeconomiarum ecclesiae tempora prophetico signat caractere. Quod autem nonnemo apud PFEIFFERVM, (a) in parabola de homine in latrones incidente Luc. X. 30. ff. iumentum v. 34. de Spiritu S. explicauit, dupliciter errauit: primum, dum in exemplo historico, quasi in parabola, notiones mysticas quaesuit, ac a litera recessit; deinde dum ficto emblematis ignotum atque adeo impium imposuit significatum. Aequae enim indignum est, Samaritanum dicere Christum, ut hic nugantur Postillatores, ac iumentum interpretari Spiritum S. quod in prophetiis emblemata est gentis cuidam addictae, siue ille in ecclesia sit Moses, siue Christus. Ob vitium artificis autem quis sanus dixerit rem ipsam statim reiiciendam esse.

§. 6. Iam vel ex dictis patet, non in omnibus promiscue vocibus, vorumque literis, & literarum figura aut sono aliquid a nobis hieroglyphici quaeri, quod nuperum est institutum CASP. NEVMANNI, (b) a CHRIST. BENED. MICHAELIS (c) pererudite examinatum

(a) *Thef. herm.* p. 184. (b) *in Genesi & Exodo linguae sanctae & disert. epist. ad illustrem Leibnuzium.* (c) *in diss. de vocum seminibus & literarum significatione hieroglyph.* Hal. 1709.



minatum: sed in quarundam duntaxat vocum dicendi-  
que formarum significatu & sensu. Aliquae enim Pro-  
phetarum voces, vt quivis videt, propriae sunt, iisque  
rebus denotandis adhibentur, propter quas initio sunt  
inuentae: sicut, cum dicitur olea, intelligitur arbor,  
omnibus hoc ipso nomine appellata. Sed aliae vicissim  
translatae sunt, quae mentione vnus rei alteram ab ea  
diuersam definite designant: sicut cum rursus dicitur  
olea, & per eam intelligitur populus aut ciuis Dei Jer.  
XI. 16. Ps. LII. 10. Quae cum multo illustriores sint,  
apud Prophetas, quam quae communiter tropi appel-  
lantur, tantumque ab iis virtute distent, quantum a  
caeteris lapidibus magnes aut pantarba, peculiari eas  
nomine emblematum insignimus. Aliud sane est, cum  
HOMERVS (a) monti, aliud cum ESAIAS I. 6. populo,  
& DAVID Ps. LXVIII. 22. ecclesiae verticem adscribit  
comatum. Emblemata itaque nobis nil aliud sunt, nisi  
imagines sanctorum Vatum, factis dictisque expressae,  
atque adeo omnes illae voces dicendique formae, quae  
sub evidentibus imaginibus res sublimiores ad regna  
mundi, vel ecclesiam eiusque oeconomiam, priuilegia,  
leges, fata pertinentes, ex instituto indicant. Quae in-  
ter si optima sunt ea, quae non omnino nullam cum  
re significata conuenientiam habent, nemo non emble-  
matum propheticorum prae Aegyptiacis hieroglyphi-  
cis cogitur excellentiam admirari. Nam etsi a Dei Va-  
tumque eius arbitratu sunt profecta, haut adeo difficul-  
ter tamen is, qui in sacris literis versatus modo fuerit,  
pauloque attentius aduerterit animum, nexum illum

B 3

de-

(a) Od. I. 481. Conf. Alexand. de figuris lib. I. p. 5. edit. Norrmann



deprehendet, qui inter picturas resque eis adumbratas intercedit. Qua, quaeso, inductus ratione, per piscem cum accipitre & equo coniunctum, odium Dei concipies, nisi ad institutum hic attendas Aegyptiorum? At ubi apud Prophetas pisces in mari & fluminibus memorantur, quis non facile homines in mundo intelligit, & in regionibus terrae incolentes? Eiusmodi autem voces, ut censet LVTHERVS, (a) omnes sunt, quasi nouae, si scilicet vim earum vsunque spectes, cum non iam amplius rem illam primam, sed alteram praestantioram, cuius illa est symbolum, ob similitudinem vtriusque, notet, ut dicere possis, Christum esse veram ianuam, verum pastorem, veram vitem, non naturalem, sed mysticam, & sic porro. Neque vero emblemata metaphoram solum, sed & ambitu suo complectitur metonymiam, nisi metaphorae cum veteribus, quorum interpres est ARISTOTELES, (b) tantam dare amplitudinem velis, ut sit *ονοματος αλλοτριου επιφορα*. Vel sola notio sceptri id potest docere, quod per metaphoram est euangelium de Christo, cui est simile, Ps. XLV. 7. CX. 2. per metonymiam vero ipsum regnum, cuius est illustre signum Gen. XLIX. 10. Num. XXIV. 19. & Ps. CXXV. 3. non aliter ac cornu tauri & imago & symbolum est regiae potestatis apud scriptores sacros pariter ac profanos. (c) Vterque tropus concurrat in metalepsi, quemadmodum nonnulli vocant, ut cum calix per metonymiam pro dulci vel amaro potu, potus

(a) tom. 1. Jen. Germ. f. 431. a. III. f. 480. b. ff. 513. a. f. (b) lib. de arte poetica. (c) Vid. Jac. Bolduc. de Ogg. Christ. II. 5. p. 111. Moeb. de orac. etbn. c. II. p. 21.



tus autem per metaphoram pro certa ac definita portione felicitatis vel miseriae ponitur. Ps. CXVI. 13. Jer. XXV. 15. ff. & alibi passim. Taceo iam caeteras translationes figurasque, quibus varie inuoluitur emblemata, quas creber vsus lectioque suppeditat Prophetarum, & collatio cum iis scriptorum ad orientem.

§. 7. Illud autem praetermittere non possum, modo simplicia esse emblemata, vt cum mons designat eminens in orbe regnum, modo composita & mixta, vt cum mons caliginosus regnum designat, quod, vbi sperabatur auxilium, sibi confidentes in tenebris relinquit calamitatum, in easque dat praecipites, Ier. XIII. 16. quod Aegyptii tribuunt caudae crocodili. (a) Potest enim res vel per se sola sub imagine proponi, vel cum tempore, vt cum ros aurorae memoratur Ps. CX. 3. vel cum loco, vt cum inflammatio montium praedicatur Ier. LI. 25. Similiter & personae coniunguntur cum rebus, vt cum Michael, agnus ille Dei, pugnans aduersus draconem in Apocalypsi exhibetur XII. 7. ff. aliud namque est Michaelis vel draconis simplex emblemata, aliud Michaelis vel draconis pugnantis. Vtriusque autem generis emblematum quaedam, vt recte MAIMONIDES (b) docet, talia sunt manifeste & palam, quae neminem patiuntur dubitare, ut cum dicitur apud ESAIAM XIV. 8. etiam abietes de te gaudent, & cedri Libani, quod JONATHAN, filius Vzielis, ipsique Vinarienses nostri de Principibus interpretantur & Proceribus potentibus: cuiusmodi emblemata in libris Prophetarum prope infinita occurrunt. Quae uti sunt eiusmodi, ut

ab

(a) Horap. Hieroglyph. lib. I. fin. (b) More Neb. part. II. c. 47. 326. edit. Вухт.





ab imperitis quoque possint animaduerti, ita aliorum e contrario ita comparata est ratio, ut nullum ibi emblemata subesse existiment. Nam de illo dicto: aperiet tibi Jehouah suum bonorum thesaurum coelum Deuteron. XXVIII. 12. nemo prudens ambigit, quin emblematicum sit, siquidem penes Deum non est proprie thesaurus, in quo asseruet pluuiam. Et eodem quoque modo intelligi quidem necessum est, quae Ex. XXXII. 32. f. Pf. LXIX. 29. dicuntur de libro Dei, cum Deus non habeat librum, in quem scribat, vel de quo deleat aliquem: & ita tamen vulgus opinatur, quia in emblematicis non sunt exercitati: qua de re etiam videri FRANZIVS (c) noster potest. Sed & ipsos haut raro eruditos emblemata fugiunt, quibus non animaduersis, aut tropum in alia voce comminiscuntur, aut figuram elocutionis, vt concilient oracula cum veritate. Ipse SCHIKKARDVS (a) lapides e muro clamantes, & trabes de laquearibus respondentes, & huiusmodi dictiones alias, passim in Jobo & Prophetis obuias, refert ad prosopopoeias: quemadmodum CICERO curiae Romanae parietes ob Marcelli restitutionem gestire dicebat, & Caesari gratias agere. Sed non in clamandi & respondendi, verum in lapidum & trabum notione est tropus, seu potius emblemata, quippe qui ex ratione styli prophetici sunt tales, quibus recte clamor & responsio poterit adscribi. Multo hinc cautius iam antea LVTHERVS: (b) mann möchte / inquit, die worte al-

(a) de interpret. Script. f. orac. XXXVII. (b) in Bechinath Happer u-  
schim seu. Exam. comm. Rabb. in Mos. prodr. disp. VII. p. 129. (c) tom.  
III. Jen. Germ. f. 274. a. in Hab. III.



so vernehmen / daß die steine und balcken wären des Königes (zu babel) eigene unterthanen / die ihm sollten beistehen und helfen: aber er habe es so mit ihnen gehalten / daß sie selbst wieder ihn sind / in seiner noth ihn verlassen / schreien über ihn / und fallen denn feinden zu / und helfen demselbigen: gleich wie ein hauß / das da kracht und knackt / schreckt und jagt den einwohner aus / daß er sich mehr für das hauß drinnen fürchtet / denn haussen / und eben da er schutz und sicherheit sollt suchen und haben / dafür muß er am meisten fliehen. De lapidibus res manifesta est conferenti Ps. CII. 15. Es. LIV. II. s. I. Petr. II. 5. ubi ciues Dei hoc emblemate insigniuntur: de trabibus vero facile est iudicium ex analogia. Quod si Babellem spiritualemente intueamur, in quam haec typice translata valent, ipsa historia abunde testatur, quam in medio quasi aedificio ipsius de impietate doctrinae regni que illius tyrannide contra votum Antichristi conquesti sint pii, ipsique se primates ei opposuerint.

§. 8. Emblemata non secus ac caeteri tropi continuantur per allegoriam, quo eadem idea seu imago per plures voces distinctius & plenius describatur, vt cum pii Apoc. VII. 14. stolas suas perluisse dicuntur ac dealbasse sanguine agni: qui est emblemata Christi Apoc. XII. 11. & passim. Iam cum stipantur emblemata magis, vel plura adsparguntur cum iis cognata atque connexa, atque adeo ex eorum contextu integra sententia vel oratio formatur, aenigma hinc nascitur, quod nil est nisi obscurior allegoria, indigens enodatione, eo que potissimum faciens, vt & delectentur lectores, & ad mysterium quaerendum excitentur. Aenigmata sane sunt agnus, cornua septem

C

tera



tem habens Apoc. V. 6. & bestia illa, duo cornua habens agni similia Apoc. XIII. II. ad quae intelligenda, opus insuper est, quid cornua notent, scire, quod pulchre docuit LVTHERVS. (a) Scripta veteris pacti si respiciamus, arcanissima Iudaeis aenigmata habentur, opus creationis & quadrigarum, EZECHIELIS, vtpote omnem ex eorum mente Philosophiam naturalem & spiritualem occulte complexa: quae teste MAIMONIDE (b) nulli minus idoneo, nedum Christiano, prodere debuerunt. Sed de his infra commodius dicetur, cum prius de emblemate, separatim spectato, ex agni exemplo satis fuerit dictum. Euoluitur id proxime per iconem, quam vocant, (c) vt cum diuus PETRVS I. ep. I. 19. ait: liberati sumus pretioso Christi sanguine, sicut integri vitioque carentis agni. Vterius autem per parabolam explicatur, protasi constantem & apodosi, quae siue tacita sit, siue expressa, ea, quae alioqui sunt emblemata, emblemata esse desinunt. Designant enim in protasi res terrenas, quae deinde in apodosi ad res coelestes similitudinis ob rationem accommodantur. Quod cum alias (d) satis fuisse ostenderim, iam non repetam, vbi praesertim hoc non ago. Sic ESAIAS LIII. 7. vt agnus, inquit, ne mutit quidem, cum ducitur ad caedem: sic Seruus Iehouae (Messias, quod nomen v. 13. exserte inferit JONATHAN in paraphrasi) neque aperit os suum, dum affligitur pro nobis. Quod autem parabolaemonstrant dictis, id typi vicissim docent factis, futurum in simili imagine figurantibus: sed & ab iis emblemata multum differunt. Illi enim in narrationibus latent

(a) tom. IV. Jew. Germ. f. 259. b. 496. b. (b) More Neb. part. III. praef. (c) Arist. Rhet. ad Theod. III, 4, 1. (d) diss. de malis pastorib. §. 4.



latent rituum & gestorum, nunquam non in Scriptura mysterio plenis: haec vero in vaticinationibus instantium fatorum, siue opere prophetico aut actu, siue scripto aut ore coram expressis; illi nonnisi rebus praesentibus adumbrant futuras, ad quas referuntur: haec vero & verbis sub imagine denotant alia. Cum MOSES Num. XXVIII. 3. f. & Ex. XII. 3. ff. memorat agnum, sacrificio quotidiano, & epulo destinatum paschali, sensus verborum nonnisi de eo valet agno: at res ipsa verbis descripta, nempe agni mactatio, est typus Christi, pro hominibus mactandi. Nam ita docet JOHANNES BAPTISTA euidenti demonstratione: ecce! hic est agnus Dei, qui tollit peccatum mundi. Joh. I. 29. Cum autem alter JOHANNES Theologus, noui Prophetæ testamenti, Apoc. XIII. 8. scribit: septicipitem bestiam adorabunt omnes incolae terrarum, quorum nomine inde ab orbe condito non sunt scripta in libro vitae mactati agni, agnus absolute hic positus, non iam typus, sed emblemata est, quo ipso statim verbo κατ' ἐξοχην indicatur Christus. Quod & aperta oppositione declarat PAVLVS I. Cor. V. 7. & noster, inquit, paschalis agnus pro nobis immolatus est Christus. Vnde simul patet, ex typo saepius emblemata fieri, atque adeo, ex eiusmodi emblemate agnosci typum. Potuissent quidem multo subtiliores afferri allegoriae, & aenigmata argutiora, & icones pulchriores, & parabolae ampliores illustrioresque typi, quibus passim abundat Scriptura, imprimisque excellunt monumenta Prophetarum: sed libuit & dilucidiori in exemplo ab his discrimen emblematum demonstrare.



§. 9. Quid autem a vulgaribus tropis emblemata differant, maxime prophetica, separatim adhuc videtur expendendum, ne post FLACIVM, GLASSIVM, aliosque, qui de illis iam ampliter dudum sunt commentati, sub diuerso tantum nomine idem agere censeamur. Gradus itaque statuimus troporum, nec quisquam iuerit infitias, alios aliis esse excellentiores. Infirmum locum occupant humani, qui ab hominibus unice inuenti, vel a quibusuis promiscue recepti sunt, vel in sapientum ore scriptisque leguntur: quos inter Poetici eminent, & Symbolici veterum Philosophorum, ante ARISTOTELEM clarorum. His uniuersis autem antepono metaphoras translationesque diuinas, quae a linguis Prophetarum & Apostolorum coelitus motis instar pluuiae stillarunt & roris, miramque stylo sacro vim virtutemque conciliarunt. Tantaque est harum antiquitas, vt iam in ipso paradiso iis distinctum sit primum euangelium, ex quo omnes caeterae vtriusque testamenti promissiones, tanquam ex viuo fonte, profluxerunt. Inimicitiam inter te, (serpens) & mulierem ponam, interque semen tuum & semen huius: id conteret tibi caput, tu ei calcem illides. Gen. III. 15. Nec aliter deinceps CHRISTVS sub singulis oeconomis per Viros suos est locutus, quam vt subinde adspiceret figuratas locutiones, & a communi vsu recedentes. Eas inter, quas illustriores esse pridem GLASSIVS (a) obseruauit, has emblemata vocamus, inque supremo inter tropos collocamus fastigio. Quod singulis a rebus beneficio

(a) Philol. s. lib. V. tract. 1. p. m. 1114.

ignis & aeris eductum est praestantissimum, id Chymici animam floris, succum liquoris, mentem metalli, spiritum appellant auri. Addunt, quintam, ut ipsi loquuntur, essentiam esse essentiam essentiae, florem floris, liquorem liquoris, metallum metalli, aurum auri. Quod his est aurum auri, id nobis inter voces est emblemata: interque orationes, oratio emblematicis, ut gemmis, interstincta. Quod genus dicendi quo magis sua se nobilitate commendat, eo minus ad communes troporum regulas semper potest adstringi, aut secundum eas diiudicari. Quam illustris, quaeso, est tropus, cum Deus pater luminum Jac. I. 17. Christus sol iustitiae Mal. IV. 2. Spiritus Sanctus lux vultus Jehouae nominatur Ps. IV. 8. imaginibus de coelo & ex aethere petitis ob maiorem *επεργειαν* & evidentiam sermonis. Gentes olim solem Sadocum vocabant, siue iustum & sospitorem, & lunam *δικαιοσυνην*, ut ex inscriptione apud CUPERVM obseruat TILLIVS: (a) sed altius affurgit Vates, & Vindicem mundi vere talem solem, talem lucem, vere hoc emblemate inuuit esse dignum. Nec infrequens in Scriptura, ut non conuenientia tantum, quemadmodum metaphorae communes, sed & oppositione nitatur emblemata, saepe & utraque, ut cum Christus vocatur Adamus: quod distinctissime in tanta breuitate ostendit WALTHERVS. (b) Nec unam solum rem designat emblemata, quae & ipsa conditio plerumque est communium troporum, sed saepe plures simul affert intellectui contemplandas, tum in doctrina,

C 3 tum

(a) in *Malachia illustrato* p. 381. (b) *Off. Bibl. in Genes. p. m. 574. ff.*



tum & praecipue in prophetia. Notum est Theologiae emblematicae Epopis, bouem picturam esse operariorum: quod symbolum id propter diuus PAVLVS ex lege Mosaica Deut. XXV. 9. erutum, speciatim ad ministros euangelii traduxit. 1. Cor. IX. 8. ff. *Quam pulchre* vero (loquor cum gnarissimo harum rerum SNA-BELIO,) (a) *quam & perspicue, cum difficultas summa & grauitas muneris, tum, quae ab euangelii doctore requiruntur, officia emblemate hoc docentur!* Bouis est aratrum trahere: Ministrorum euangelii, omni contentione in eo elaborare, ut agrum huius mundi verbo conuersionis discendant, & aperiant sulcos, non tantum, ut dumeta cum radicibus funditus exellantur, sed &, ut ager semen uerbi Dei suscipere rite queat. Occare, uel crate inducta glebas confringere & semina condere profundius, non minus boues solent: sic & euangelii Ministris curae cordique sit oportet, ut semen uerbi profunde condatur mentibus, & incrementum spiritale laetius capiat. Triturandum erat boui, ut bonum semen a rebus nullius frugis separaretur: Ministro incumbit, ut distincta euangelii praedicatione & curatissima quadam, plena iudicii & cuius hominum generi propria applicatione triticum a paleis discernat, & regni coelorum clauibus recte utatur. Boues ex legis decreto munda censebantur animalia, quae ruminabant, & bifidis erant ungulis: sic euangelii Doctores decet ruminare, meditari noctesque & dies, degustare & regustare, tanquam cibum palato suo gratissimum, Verbi Dei altissima mysteria, praecipue uero suauitatem foederis gratiae, in quo stupenda illa diuinarum perfectionum harmonia, & aeterna eius *Φιλανθρωπία* splendidissime elucescit. Verbo utriusque testamenti firmo talo, bifidis ungulis insistendum est, animusque im-

(a) *Orat. de orig. & praestant. Theol. hieroglyph. & typ. p. II. f.*



buendus, firmo proposito & immoto, ut, tametsi fractus illabatur orbis, impavidum feriant ruinae. Ut laboris patientes sunt boues, sic & illis improbus & assiduus sustinendus est labor. Solent & boues excipere non impatienter stimulos: haud aliter Ministros euangelii decet criminationes & malefactorum hominum calumnias non iniquo ferre animo, nec credendum malis, sed contra eundem audentius: inprimis afflictiones pro causa Dei & Christi regno, generoso animo & magna alacritate cernendae sunt. Amant boues idem jugum trahentes: sic Ministrorum est, opus Dei humero pari cum Symmystis suscipere, nec collum iugo subducere. Denique, quemadmodum boues sua habent cornua, quibus se opponunt aduersus infesta: ita quoque Ministro euangelii non raro decertandum est cum veritatis aduersariis. Iam ubi ad fata conuertor diuini regni, dici non potest, quam foecunda in eorum praedictionibus emblemata reperiantur, quae non ad vnum tempus aut populum vnum restringuntur, sed extenduntur simul ad multa, sibi inuicem eodem modo iussutura. Si enim voces Scripturae in tanta latitudine accipi debent, in quanta possunt, ut contra Socinianos disputat SCHMIDIUS, (a) ab eaque vocis latitudine citra necessitatem non est recedendum, ut ait REINHARDVS, (b) tanto amplior earum in contextu erit significatus, quando multis simul eadem conueniunt ratione. Lupum cum agno conciliandum Es. XI. 6. LXV. 25. nemo ignorat, ab his de coetu gentium cum Iudaeis ad unam ecclesiam congregandarum, ab illis de multitudine hypocritarum piis in una societate visibili miscendorum.

ex-

(a) Coll. Bibl. V. T. p. 82. (b) Herm. S. p. IV. f. 1. p. 258.





explicari. Rectius LV THER VS (a) generatim de inimi-  
cis ecclesiae intelligit, eam persequentibus, quos *εμφαι-  
τικότητας* depingit. Estque adeo tam extensa haec no-  
tio, quam ipsum regnum Messianum, quod quamdiu  
fuit ac erit, tamdiu quoque lupus cum agno fuit eritque:  
primum Judaei, deinde gentes, tum Antichristus cum  
suis affeclis, mali denique omnes. Sic & collatio dotium  
Spiritus S. quae Joel. II. 28. sub emblemate effusionis propo-  
nitur, (nam & verbis exprimuntur emblemata, non  
nominibus tantum) minime ad unum diem Pentecostes,  
de quo Act. II. 1. ff. sed ad omnes valet dies Messianos,  
ut LV THER VS in glossa (b) & Vinarienses (c) recte  
docent. Es ist diese weiffagung / inquit, auf zweier-  
lei weise erfüllet: einmahl durch die sichtbare ausgiessung  
des heiligen Geistes über die heilige Apostel und andere  
Christen im anfang des neuen testaments / u. s. w. Dar-  
nach ist sie erfüllet und wird noch täglich erfüllet durch die  
unsichtbare ausgiessung des H. Geistes / durchs wort und  
die heiligen sacramenta / über alle wahre gläubige / Röm.  
8 / 15. Gal. 4 / 6. welche durch solche ausgiessung erlan-  
gen die gaben / die geheimnisse des göttlichen worts zu  
verstehen / und durch auslegung der Schrift auch andern  
zu erklären / nach eines ieden stand und beruff 1. Cor. 14 /  
29. Quod ne ad visiones fanaticorum commentitiasque  
traheretur reuelationes, dudum praeter alios BEBELI-  
VS, (d) ac nuper demum BRECHTIVS, (e) Theolo-  
gus

(a) *comm. ad Es. LXV. 25.* (b) *ad Joel. II. 28. & Act. II. 17.*  
*coll. tom. IV. Lat. Jen. f. 787. f. 790. f.* (c) *in Joel. l. c.* (d) *diff.*  
*de dono & iure prophetandi in N. I.* (e) *de spiritu prophetico ecclesiae*  
*N. I. promisso.*

gus Argentinensis, Lipsiae TIMAEVS (a) & ALBERTI, (b) Jenae CVNDISIVS, (c) Rostochii callentissimus Scripturarum GRVNENBERGIVS (d) sapienter cauerunt peculiaribus diatribis: quibus, quod ad ipsam doctrinam attinet, adiungi prae caeteris potest solidissima tractatio MEISNERI, (e) auspice LYSERO Wittebergae disputata: vbi & visiones de futuris rerum euentibus in ecclesia & politia hodie quoque, si Deo ita placeat, contingere cuiuspiam posse, sed caute tamen examinandas esse, perspicue docet. (f) Obseruarunt etiam dudum Patres nostrique Theologi, vno saepe emblemate & Christum, tanquam caput, & simul ecclesiam, tanquam eius membra, atque adeo totum corpus mysticum comprehendi, vt cum semen mulieris, semen Abrahae memoratur, quod est vnum. Sed cum longum nimis foret, hanc emblematum virtutem prae caeterisque tropis praecellentiam digne explanare, expendi curate velim, quae FLACIVS in clauae, (g) & in opusculo, ante biennium sub nomine CHRIST. BIBLIOPHILI Stutgardiae edito, de foecunditate sensus in Scriptura iusta quadam serie proponuntur, hancque in rem admonentur passim. Vnum tantum addam, quod, cum nonnisi cognatas metaphoras connecti velint rhetores in una sententia, Viri Dei tamen saepius diuersas coniungant ad instar Poetarum, (h) deque subiecto

D

prae-

(a) de effus. Spiritus S. 1611. (b) de munific. diuina 1668. & in Vindic. exeget. 1695. (c) in diez. huius vatic. 1645. (d) in Progr. Pentecost. 1706. (e) de Prophetis 1644. (f) l. c. Sect. IV. S. 4. ff. (g) part. II. tract. 4. p. m. 311. ff (h) Horatius ideam ferarum, fructuum, agrorum coniungit in his: Nemo adeo ferus est, qui non misce-  
re possit, si modo culturae patientem commodet aurem.



praedicent ea, quae ei minime videntur simul posse conuenire, quod & FLACIO <sup>(a)</sup> & GLASSIO <sup>(b)</sup> est obseruatum. Jer. XXXI. 4. f. Adhuc structore me aedificaberis, virgo Israel, vineasque plantabis in montibus Samariae: vbi tres metaphorae: aedificare, virgo, plantare, a se inuicem disunctissimae miscentur. Similiter Eph. II. 19. Domestici estis Dei, super Apostolorum Vatumque fundamentum exstructi. 1. Petr. II. 4. f. Accedentes ad Christum, tanquam lapidem angularem, ipsi quoque ut uiui lapides aedificamini, spiritualis domus, sacrum sacerdotium, ad offerendum spiritualia sacrificia, Deo per Jesum Christum accepta. Volunt pios cogitare, ipsos & ciuitatem & familiam esse Dei, & grati officia animi praestare ei debere, sacri sacerdotii partibus fungentes. In cantico canticorum eorum coetus ut virgo mox nigra I. 5. f. mox decora tamen v. 15. mox ut pastortia v. 8. vt miles, equi instar capistro & habena coercita, v. 9. f. mox ut ornata auro argentoque v. 11. & Regi desponsata & coniugata v. 6. f. & tamen a vigilibus percussa & vulnerata exhibetur V. 7. ne quis naturalem hic coniugem Salomonis opinetur celebrari. Sponsus ipse eodem capite & Rex vocatur I. 4. II. & pastor 7. & deinceps passim: vt adeo & oxymora in contextu emblematum reperiantur, ex contrariorum coniunctione in vnum, quae latius Theologi exponunt. Me iam vastitas absterret argumenti, quo minus ad caetera SALOMONIS emblemata progrediar, quae sunt omnium longe venustissima, vt nihil possit cum eorum pulchritudine comparari. §. 10.

(a) *clau. script. part. II. tract. 4. p. m. 258.* (b) *Philol. s. lib. V. tract. 1. c. 6. p. m. 1114.*



§. 10. Res ipsa ergo loquitur, a reliquis tropis di-  
 uersa omnino esse emblemata, & iis omnibus dignitate  
 excellere: quibus stylum Scripturae, maxime propheti-  
 cum, & ex prophetico tractum, quasi gemmis quibus-  
 dam subinde variatum esse, & variari quoque debuisse  
 ipsa ratio nos docet, planeque conuincit. Huc enim  
 natura tropos, quorum princeps est emblemata, ( vt de  
 his generatim primum loquar ) in oratione inuenit, vt  
 supplendae vocabulorum inopiae inseruirent, & suble-  
 uandae mentis nostrae imbecillitati, & splendidiori red-  
 dendae orationi. Apposite ad rem nostram nuper de-  
 nuo RVDIGERVS (a) inculcavit, non suppetere sem-  
 per proprias voces, nec tantum esse earum numerum,  
 quantus est rerum & idearum, vt ab his, quibus videntur  
 congruere quodammodo, earum simulachra sint  
 petenda. Quo signo ipse DEVS eiusque natura &  
 perfectiones actionesque, ab omni corporea ratione a-  
 lienissimae, indicari potuissent, nisi in subsidium vocatae  
 essent rerum, quae in sensus incurrunt, quaeque per-  
 ciuntur, notiones, nempe spiritus, lucis, ignis, tum-  
 vultus, oculi, brachii, aduentus item, descensus, ad-  
 scensus: cuiusmodi *αυθρακας* nemo prudentius cum  
 diuina maiestate conciliauit, quam aureo in Genesin  
 commentario LVTHERVS. (b) Nota Hebraeis erant  
 Chananaea terra, Hierosolyma, Zion, templum, propiti-  
 atorium: ideo sub horum imagine res spirituales re-  
 gni noui proponuntur testamenti. Edom imago erat  
 ipsorum, quatenus olim futuri essent ecclesiae Chri-

D 2

fi

(a) lib. de sensu veri & falsi l. 13. p. 111. (b) rom. IV. Jem.  
 Germ. f. 51. 62. b. 74. b. 75. a.



ti hostes, Sodoma, Aegyptus, Babylon regni Antichristiani, Antiochus ipsius Antichristi. Et ea intellectus humani, corpore adhuc merfi, est conditio, ut quemadmodum LV THERVS (a) & e Philosophis Wittebergenfibus docet SENNERTVS, (b) phantasmate indigeat, nec sine eo intelligat unquam facile. In rebus diuinis & fpiritualibus hoc adeo verum est, ut non solum MAXIMVS olim TYRIVS (c) conquereretur, quam magni fit res negotii, ut mens se explicet a molibus, fuaque ipfa fpectacula intueatur fine materiae admixtione, fed & in ecclesia AVGVSTINVS (d) confiteretur, se de Deo fuo cogitare volentem, cogitare nifi moles corporeas non potuiffe. Quis itaque non vel hinc cognofcit, non dicam in Vatum, coelestia maxime atque myftica docentium, fed & in omnium hominum fermionibus opus effe verbis, quae a rebus fenfui patentibus transfumta imagine, rerum arduarum imprimant ideas, atque adeo figurae & emblemata fit earum, quod fufius LOCKIO (e) pertractatum. Et haec tum, veluti fomites ac flammae, excitant primum mentem, quae deinde in ipfo opere intellectionis res digne debet contemplari, & indies affurgere ad puriorem rationem cogitandi, ne corporeae ufque inhaereat fenfioni, quam omnis externi idolorum cultus cauffam fuiffe, & POIRETVS (f) arbitratur, & de Judaeis quoque historia perfuadet. Neque enim quia Deo membra, affectus, operationes humanae attribuuntur, ipse animans, vel homo,

(a) rom. VI. Jen. Germ. f. 76. b. (b) epit. natural. scient. VIII. 2. p. 701. (c) ferm. 1. (d) Conf. V. 10. (e) de intell. III. 1, 5. (f) cogit. rational. 1 3, 3. p. 13. Conf. Clauberg. in defenf. Cartes. p. 516.



mo, vel vir existimandus est, qui mutetur in horas, agatque nostro more: sed ita haec Deo adscribuntur, uti a nobis cognosci possunt, quae interius fide percipiuntur: ipsaque haec perceptio, cum careamus vocibus aliis, corporeis exprimitur. Neque adeo & nouum sub Messia regnum ciuile, aut externus cultus expectandus fuit, sed sub horum imagine speranda coelestia & aeterna, quae a Prophetis non sine ratione sub istis symbolis proposita fuerunt, vt eorum se lingua ad nostram attemperaret sensationem. Non aduertimus animum ad res diuinas, non debita eas cura introspicimus, aut expendimus, ut decet, nisi afferantur, quae feriant oculos, & sensus afficiant. Hinc quae obuia sunt sensibus vel in natura, vel in communi vita, in politia, in cultu sacro, arcessuntur in sermone, ad significanda, celsiora, quorum antea non habebatur ratio. Non tam afficit mentem notio calamitatis, quam tenebrarum; non tam hostilis exercitus notio, quam turbinis & tempestatis & caliginosae nubis animum percellit. Et quis adeo aestimat robur Christi Seruatoris in deuincendis inimicis, quam cum audit, leonem esse de tribu Juda, cuius cum insigne in vexillo esset leo, (a) hoc magis ea notio afficiebat. Quis item iram Dei aduersus scelera tam alte demittit ad animum, & expauescit, quam cum Deus leo dicitur rugiens, quod ipse innuit Propheta, cum ait: leone rugiente, quis non metuat? Am. III. 8. unde & monstrosa illa parabola Talmudis libro Cholin. (b)

D 3

Nec

(a) Moses *Gen. XLIX. 9.* Jonathan *Num. II. 3.* Abraham *Leuita in Cabbala histor. f. 28. c. 3.* Kimchi *in Ex. I. ult. Druf. praeterit. X. p. 410.* Glass, *Rhetor. f. p. m. 1165.* (b) *c. III. p. 59. b post. med.*



Ne adeo quisquam reputat secum Dei & Christi in suos affectum, nisi cum hic se patrem vocat, & sponsum suorum, & caput, & pastorem. Vbi stupere necesse est Dei infinitam sapientiam, quod uti verecunda, & vel speciem obscoenitatis habentia tegit modestioribus tropis, quemadmodum WARLIZIVS integro docet libro, ita mysteria notioribus emblematis inuoluit. Et per haec Deus in Prophetis ad nos descendit, ut nos vicissim ad ipsum adscendamus, quemadmodum hunc canonem pulchre effert AFFELMANNVS. (a) Quo facto deprehendemus illico, rem emblemate signatam multo adhuc augustiorem esse, quam quidem erat figura eius, & admirationem maior admiratio excipiet. Nam licet initio ingens videatur emblematis splendor, re ipsa tamen inspecta multo deterioris apparet esse conditionis, ut plus deterat re vera de maiestate coelestium, quam ad eam conferat augendam. Nihil enim est in hoc orbis puncto, quod ad illam diuinorum mysteriorum amplitudinem accedat, etiamsi nobis habeatur forte praestantissimum. Percellimur, cum montes & maria audimus: sed quid montes ad regnorum, quid ad mundi vastitatem maria, & ipse oceanus seu tartarus, ut appellant Prophetae? Quid ad Regem aquila, quid leo, & quaecunque praeterea grande aliquid sonant, ad maiestatem DEI? Minora sunt isthaec omnia significatis, & licet sublimia vulgo dicantur, ratione nempe habituum hominum imbecillitatis, ut qui nouitate capiuntur, sublimia tamen non sunt, si contra rem ipsam spectes, cuius potius isthoc pacto diminuitur magnitudo: ut minus accurate ARISTOTELES (b) scripserit, uniuerse ad

(a) *Syntagm. part. II.* (b) *Rhet. ad Theod. III. 6, 5.*



ad locutionis granditatem pertinere μεταφορῶν δὲ ἄλλων, nisi ubi minora exprimuntur per maiora, ut de verendis diximus. Quocirca recte hactenus HVETIVS (a) ἐπιχρῖσιν reiecisse videtur LONGINI, (b) ὡς quoddam praedicantis in ista narratione MOSIS: dixit Deus: fiat lux! & facta est. Gen. I. 3. Neque enim ibi nisi in re ipsa est sublimitas, depressa potius, quam eleuata verbis, cum nonnisi per ἀνθρώπου παθεῖαν Deo tribuatur fermo: id quod Episcopus Abrincensis, cum eo nomine a BOYLIO, (c) Domino Despraux, acriori notatus esset censura, erudite defendit in epistola ad Ducem de Montausier, a CLERICO Bibliothecae selectae (d) inserta, ulteriusque confirmata. Nec sane conueniebat, eo loco granditatem affectare, ubi simplici filo historiam mundi pertexebat MOSES, qui potius voluntatem ac imperium Dei expressit, ut potuit, ac notione usus est locutionis. Vbi vero vel poetice persecutus est fata Jobi, vel propheticè commentatus est Hebraicae fata nationis, ut Deut. XXXII. & XXXIII. cantico illo cygneo, mirabimur ὡς eius styli: ut vel hinc Prophetarum cum Poetis conuenientia in emblematis appareat. MOSEN secuti sunt testes eius, veteris testamenti Prophetæ, quorum proprium fuit, denunciare futura symbolici verbis. EZECHIEL praecipue in iis adeo multus erat, quoties fere significabat populo iudicia Dei, ut vulgo מַשְׁלֵי מַשְׁלֵי parabolator, seu artifex emblematum & parabolarum audiret. Ezech. XX. 49.

In

(a) *demonstrat. euang. propos. IV. c. 2. § 1.* (b) *Secl. IX. n. 18. edit. Toll. n. 61. f.* (c) *praef. in Long. p. 10. Amst. 1702. tom. II. opp.* (d) *an. 1706. tom. X. p. 211. ff.*





In nouo quoque testamento, quot non imaginibus utitur ipse CHRISTVS in suis prophetiis, utpote de quo impletum est, quod dicitur Ps. LXXVIII. 2. mysteria, per parabolas elocuturum. Ad quae cum & delabitur PAVLVS, & exempli causa de illustri vaticinatur conuersione Iudaeorum, statim de olea eiusque radice & ramis loquitur, deque oleastri ramis & similibus. Apocalypsin autem IOHANNIS totam emblematicis repletam esse, neminem credo esse, qui ignoret, si vel audiuerit de sigillis & tubis, & visionibus interiectis. Quae cum usui omnium destinata sint a Deo, ita debuerunt temperari, ut solarentur pios, impios terrent, & emblematicis illis breuiter multa docerent. Hinc non solum ea, velut exquisitissimae gemmae, smaragdi, adamantes, carbunculi, pretiosissimique uniones intra summas passim angustias sunt coarctata, quemadmodum hic loquitur FLACIVS<sup>(a)</sup> noster, sed & singula tantam habent sensus densitatem, ut non mirari satis queamus tam varias tamque ingentes opes. Quidquid fere de ecclesia cogitari potest, id notionibus sponsae, corporis, vineae continetur, & quae sunt huius generis alia.

§. II. Non potuere itaque non intelligere antiqui ecclesiae nostrae Theologi, ac obseruare emblematicas dictiones, cum Prophetas sibi haberent quam familiarissimos, quorum oraculis, velut armis, aduersus Antichristum depugnabant. Ipse diuus LVTHERVS noster allegorias appellabat, & figuras, quo nomine (quod semel notasse sufficiat) non ea tantum insigniuere Romani,

quae

(a) *Clau. Script. part. II. tract. 4. tit. de densitate sensuum ac rerum in sacris literis p. m. 312.*

quae a communi ratione remouentur, sed etiam quae aliud dicunt, aliud vero significant, ut alias (a) ostensum. Imagines quoque vocat & flores, de quibus ita exserte docet: Derselben blumen ist die Schrift voll/sonderlich in denn Propheten. Also nennet Johannes und Christus Luc. 3/7. Matth. 23/ 33. die Juden schlangengezüchte/ und Paulus nennet sie hunde Philipp. 3/ 2. Psalm. 110/ 3. Der thau deiner kinder wird kommen aus der mutter der morgenröhte. u. s. w. (b) Quod peritissimi quondam sanctarum linguarum, DRACONITES & SNEPFIVS, quibus & ipsis figurae appellantur & figuratae locutiones, exemplis, id & exemplis docebat, & largissimis praeceptis FLACIVS sub titulo troporum & metaphorarum. NICOLAVS HVNNIVS Deum aiebat variis figuris, typis, emblematis & allegoriis nos vtilia docere. (c) Quin & antiqui pridem Rhetores Christianorum facile haec agnoscebant, in iisque PROCOPIVS GAZAEVS, quem sequens BALDVINVS (d) & ipse symbolis nonnunquam seu signis inuolutam esse scribit propheticae elocutionem, ut apud DANIELEM & EZECHIELEM statim ab initio. FRANZIVM (e) quoque tropica & allegorica, seu ut GLASSIVS (f) nominabat, symbolica verba, in iisque alia aliis illustriora, non latebant, utpote quibus subinde denunciari futura obseruauerant. GERHARDVS (g) veram figuratorum verborum indolem ac vim defendebat

E

debat

(a) *diff. de malis pastorib.* §. 4. p. 8. (b) *tom. 1. Jen. Germ.* f. 431.  
 a. (c) *praef. ad Rosf. alleg.* (d) *Id. dispos. Bibl. c. XI. p. 140.*  
 (e) *de Interpret. Script. S. orac. XCV.* (f) *Philol. S. lib. 1. p. m.*  
 222. & *lib. IV. p. 1114.* (g) *lib. posth. de chiliaimo c. II.*



debat adeo contra Judaizantes sententias, ac ne vel admitterentur vel reiicerentur temere, integris diatribis CHRIST. CHEMNITIVS (a) cauebat. Neque enim nulla, neque omnia, ut inquit HENICHIVS, (b) quae in sacris literis leguntur, secundum sonum verborum explicari debent, ut cum Deus descendisse dicitur, cumque ei tribuuntur membra. Cum primis autem Prophetas, utpote sublimi dictione gaudentes, figuris solere uti dictis praecipue AMOSI VIII.9. & ESAIAE XIII. 10. de signis in sole, luna & stellis confirmat, ulteriusque roborat autoritate MAIMONIDIS (c) Judaei. Ita & VRSINVS, & TARNOVII, OSIANDRI, SCHMIDII, aliique sensere: (quis enim recenseat omnes? quod nec opus est in re tam euidenti,) eoque id sibi negotii datum esse credidere, ut & ipsi regulas rite dignoscendi istiusmodi emblemata & interpretandi haberent, & aliis ea paulatim magis magisque darent explicata.

§. 12. Neque vero hoc eo valet, ut solis horum laboribus inhaereamus, quasi per ipsos res iam confecta sit plane, nec opus iam sit eorum vestigia insequentes ulterius pergere. Minime. Praestat, ut recte MELANCHTHON (d) scribit, & ad conscientiam confirmandam, & ad formandum iudicium, cum Prophetis ipsis tanquam domi colloqui, quam ex commentariis sapere, qui fere Prophetarum sententias procul ostendunt, si tamen ostendunt. Et ut in interprete nihil possis deprehendere, tamen & hic iuxta prouerbum dulcius ex ipso fonte

(a) *Coll. Theol. de sensu Script. S. disp. V. & VI.* (b) *de verit. relig. Christ. c. V. p. 423.* (c) *More Neb. part. II., c. 29.* (d) *praef. ad sentent. Sal.*



fonte bibuntur aquae. Ad eumque nos allicere voluisse videtur Deus tanta emblematum suauitate, mysteriorumque, quae sub iis abscondit, obscuritate simul & perspicuitate, in qua & ipsa propheticae dictioni cum poetica conuenire, intelliget facilius, qui vel percurrerit BERGERI de occultatione poetica dissertationes. Nimirum hoc ipsum est, quod intellectum vult SALOMON, cum Prou. XXV. 2. gloriosum ait esse Deo, celare verbum, Regibus autem in id inquirere, quemadmodum idem MELANCHTHON recte transtulit, ex Hebraeo. Siftit ille Deum, ut magistrum, qui reuelat, quo discipulos exercent: Reges autem, ut discipulos, quorum est in eandem inquirere, secundum eamque & instituere vitam, & regere populum subiectum: unde & describere legem, & assidue tenebantur volutare, ut data opera docet SCHIKKARDVS. (a) Celatur autem verbum per חִירָה & מְשָׁלִים, ut ipse SALOMON docet Prou. I. 6. hoc est, per tales orationes, quarum scopus latet in recondito, non in cortice habetur: nam sermones sunt de rebus sublimibus, quae sunt scopus: forma est parabolica, seu, quod idem, emblematica, ut ex re & vero explicat MAIMONIDES. (b) Vnde simul apparet, quod antea iam dictum, ψῶς inesse in rebus, non in verbis, in eo, quod interius est, non in exteriori, nisi quod hoc initio animos rapiat in admirationem. Qui modus dicendi cum & Hof. XII. 11. ipsi tribuatur Deo, ut apposite ad hanc rem HACSPANIVS (c) notauit, non Prophetæ sunt assimilatores, sed Deus est ille מְרַמֵּה /  
E 2 Deus

(a) *Mischpat hammelech* p. 31. f. (b) *Porta Moysis*, edita a Poc. p. 147. (c) *Not. Phil. in Hof. XII 11.* p. 964.



Deus est assimulator, qui parabolas proponit, proponiue praecipit per os Prophetarum. Pf. LXXVII. 2. idque ipsi honorificum esse dicit SALOMON. Refugit, scio, GEIERVS (a) hanc expositionem, ne quid ea detur Pontificiis & Socinianis, quasi Deus patefactionem salutis voluerit esse occultam, aut vaticinationem ad morem oraculorum profanorum studio inuoluerit nebulis. Sed nihil his indulgetur, si vel maxime hic in litera persistamus, a qua recedere nobis citra urgentem necessitatem haut concessum est. Nam quod doctrinae de fide ac pietate satis sint clarae, ex hoc ipso discitur libro SALOMONIS Prou. VI. 23. quod autem prophetiae de euentibus futuris, sublimi adeo dicendi genere editae, non item omnes ante complementum liquidae fuerint, ipse Deus docet apud DANIELEM VI. 9. s. quo nihil decedit religioni. Ante omnia vero respiciendum est Dei propositum, discrimenque instituendum personarum. Deus non in omnibus abscondit verbum, quasi leges & statuta mera sint aenigmata, quae sordium Pf. XCV. 10. esse opinionem, indignam responsione, prudentissimus inter Judaeos censet ABENESRA. In multis autem abscondit verbum, ut excitaret homines ad scrutandum, sed ita tamen abscondit, ut si adferrent diligentiam, ad maiorem paulatim claritatem eos perduceret. Prou. I. 5. Vix enim ullum ostendi potest tam abstrusum emblemata, quod non vel in ipso mox contextu vel ex occasione dicendi, receptaque significatione, aut ibi vel alibi adspersa explicatione, quasi lucidarum fulgore stellarum, satis attendentibus declaretur: vt vere PETRVS sermonem pro-  
phe-

(a) *comm. in b. l. p. 1377.*



pheticum laudare potuerit, tanquam lucentem in obscuro loco lucernam, donec illuxit dies. 2. ep. I. 19. Vix dictum erat ab ESAIA LIV. 11. collocabo lapides tuos cum ornamento, & quae sequuntur, cum statim adderetur v. 13. filii tui omnes edocti a Jehouah erunt, inque multa degent pace. Hoc sane est, מִשַׁל וְמִלִּיצָה / ut loquitur SALOMO Prou. I. 6. vbi ex more Scripturae, HIERONYMO (a) quoque obseruato, obscuris subnectuntur manifesta, & quod prius sub aenigmate dictum erat, aperta voce profertur. Accedebat luculentior interpretatio ipsorum Prophetarum, qua simplicioribus volentibus vaticinationes redditae fuerunt illustriores, vt ex illustri exemplo Ezech. XVII. 12. patet, & a KOENIGIO (b) est adnotatum. Nec defuisse unquam in veteri testamento, usque ad aduentum Messiae, qui in synagogis dexteritate sua supplerent, quod obscurius videbatur dictum, solide demonstrauit HULSEMANNVS. (c) Sub accessum autem Christi, dici non potest, quam densis lux prophetiae inuoluta sit tenebris traditionum humanarum, indiesque pulsa magis, auferentibus clauem scientiae iis, qui se interpretes legis vocitabant, at re vera eius corruptores erant Luc. XI. 52. nec retegentibus in lectione veteris pacti velamen illud Mosis, quod in Christo aboletur. 2. Cor. III. 14. scilicet corporeis externisque rebus mente sua usque imminendo. Quo minus est mirandum, veterum emblemata Prophetarum, contextasque ex iis prophetias obscuras negligentibus fuisse, nec de mysterio sub iis latente sollicitis, quod sane intellexit DAVID, & gloriatus est Ps. LI. 8. Quin imo non potue-

E 3 runt

(a) in *Es. XIX. lib. V. comm.* (b) *diff. de nat. V. T.* (c) in *Dialysi apolog. p. 32. ff. 410.*



runt hinc credere, quia hoc ESAIAS Propheta praedixit VI. 9. s. hoc autem Propheta praedixit, quia Deus hoc esse futurum praesciuit. Quare autem non poterant? si a me quaeratur, inquit AVGVSTINVS, (a) cito respondeo: quia nolebant: malam quippe eorum voluntatem praevidit Deus, & per Prophetam praenunciavit ille, cui abscondi futura non possunt: audituros, nec intellecturos; visuros, nec cognituros, corticem scilicet visuros, nucleum non item, oblimato eorum corde, & auribus aggrauatis, & hebetatis oculis. Vnde & recte HVARTVS (b) hanc, ad quam paulatim vergere coeperunt, stupiditatem malitiae eorum tribuit, & animo peruicaci, venerandaque hic est cum LIGHTFOOTO (c) & iustitia Dei, qui caliginose loquitur lucem spernentibus, & diuina quoque sapientia ac cura, qui adeo ad contrarium; emblemata adhibet vsum, aliis quidem ad inuolucrum & velum, aliis ad lumen & illustrationem: ut cum ERASMO (d) emblematicae dictiones aequae, ac parabolae, appellari obscure dilucidae queant. Regium est, eas percutari, eoque Judaei Berhoeenses velut Thessalonicensibus *ευγενεσες* laudantur merito, quod tanta cum auiditate admiserint doctrinam, quotidie excutientes Scripturas, an ea ipsa sic haberent, quae a PAVLO & SILA de Christo dicerentur. Act. XVII. II. En vero exemplum incredibilis obstinationis recentiorum quoque Judaeorum! Testatur R. DAVID, Psalmum II. a doctoribus vetustis expositum de Messia, sicque perspicuum esse: fatetur id quoque R. SALOMON

JAR-

(a) tract. LIII. in Iob. (b) Scrut. ingen. c. XIV. p. 393. (c) Hor. Hebr. in Math. XII. 23. p. 355. s. (d) ad Marc. IV. 2.



JARCHI: sed tamen, inquit, prout sonat, & ut respondeatur Minaeis, seu Haereticis (quo nomine nos designat) expedit interpretari de ipso Dauide: quae de re uberius videri apud POCOCCIVM (a) potest.

§. 13. Eo magis deploranda haec est caecitas Iudaeorum, quo minus cum mente institutoque suorum maiorum degeneres plane posterius conueniunt. Si enim retrogrediamur ad prisca tempora, & antiquitatem respiciamus ultimam, is genius, ea fuit indoles Hebraeorum, ut emblematis & figuris inuoluta haberent ardua mysteria, ex iisque, quae videri possunt, ea intelligerent, quae non videntur: quod & nostratibus DILHERRVS, (b) HACSPANIVS, (c) CARPZOVIUS (d) BECKIVS (e) adnotarunt, latiusque ostenderunt. Prima statim promissio, in ipso adhuc paradiso sub aenigmate de femine & serpente proposita Gen. III. 25. per παρροπαρραδοσει publicasque patrum familiae conciones una eademque forma Gen. XI. 1. propagabatur usque ad Abrahamum, cui Deus & clementiam suam sub emblemate clypei & mercedis Gen. XV. 1. nec solum Christum, ex ipsius stirpe oriturum, sub notione feminis, Gen. XII. 3. XXII. 18. sed & amplificationem stirpis & felicitatem sub imagine stellarum & pulueris, & occupatione hostilium portarum pollicebatur. Gen. XIII. 16. XV. 5. XXII. 17. Is uti Propheta fuit Dei, ab ipso Deo isthoc titulo insignitus Gen. XX. 7. coll. XII. 8. XVIII. 19. ita nec ignarus

(a) not. miscell. ad portam Mos. c. VIII. p. 306. ff. (b) in Atrio lingu. sanct. p. 89. (c) not. phil. l. c. 5 de scriptor. Judaicor. in Theol. usu praef. §. 14. f. p. 224. f. (d) in Praecogn. Syst. Theol. Jud. tb. 8. ff. (e) ad paraphr. Chald. libri Chroni p. 138.





rus videtur fuisse Philosophiae, ex qua magna pars emblematum est sumpta, & fiderali inprimis scientiae, quae antiquissima fuit ad orientem, gnauiter operam dedisse Gen. XV. 5. dignus idpropter, qui duce EVSEBIO magnus vir, και τα σπουδαια εμπειρος vocetur. Certe, cum Phoenicibus, ipsisque adeo Aegyptiis, rudibus antea, Astrologiam aliasque communicasse doctrinas, ex peruetusta traditione JOSEPHVS, (a) EVPOLEMVS (b) & ARTAPANVS (c) nobis retulere. Huius deinde filios, ab eodem tam liberaliter institutos, Gen. XVIII. 9. nepotesque & ingeniosos natura, nec educatos segnius, iam ante quam in Aegyptum esset deuentum, (ne ibi demum didicisse emblemata putes,) istiusmodi symbolorum gnarissimos fuisse, tanto minus dubitari potest, quanto magis constat, ipsum ad eos Deum perpetuo fere ista forma locutum, cum promissiones suas & Isâaco confirmaret Gen. XXVI. 4. & Jacobo. XXVIII. 14. Vnde & ille duobus Gen. XXVII. 27. ff. & hic duodecim filiis suis, ex quibus prognati sunt Hebraei, de futuris fere per emblemata de leone, scepro & similibus benedicebat Gen. XLIX. 5. ff. Nec hos ipsos ad symbolicam scientiam adeo ineptos fuisse, vel somnia illa αλληγορικα, quae cum emblematibus conuenientiam non omnino nullam habent, somnia, inquam, Josephi de manipulis & fideribus Gen. XXXVII. 7. ff. sunt documento, quippe quorum eius fratres sensum, simulac audiuisent, extemplo assequebantur. Ipse quoque

(a) *Antiq. Jud. l. 7. f.* (b) *apud Alex. Polyh. citatum ab Eusebio praep. eu. IX. 17.* (c) *apud Euseb. l. c. c. 18. Hodiernis id negantibus Baelius in dict. Hist. Crit. t. 1. f. 33. voce Abraham respondit.*

quoque Josephus, ubi adoleuerat, eoque profecit,  
 diuinitus insuper afflatus Gen. XL. 8. XLI. 16. Act. VII.  
 10. ut, cum non solum praegustatorum & pistorum ma-  
 gistro de duobus palmitibus & canistris, sed & ipsi Regi  
 somnia de septem vaccis & spicis, quod nemo sapien-  
 tum Aegyptiorum tum quidem poterat, tam feliciter  
 interpretaretur, & iudicio Aegyptiaci Regis sapienti-  
 or Aegyptiis tum haberetur omnibus, פתח פנים  
 id propter appellatus, hoc est, interpres obscurorum, cui  
 patefacta sunt occulta secundum Chaldaeum, (a) Ponti-  
 ficisque Oniorum seu Heliopolitanorum filiae connubio  
 coniunctus, omnibus ab eo magnatibus regnique proce-  
 ribus erudiendis adhiberetur. Gen. XLI. 38. ff. Pf. CV.  
 22. Ut facile pateat, non per se solos Aegyptios illam  
 excogitasse sapientiam, in qua eruditum fuisse Mosen,  
 STEPHANVS Act. VII. 22. testatur, si vel maxime eam  
 autoritate adductus PHILONIS (b) symbolicam fuisse sta-  
 tuas, quam partem illius fuisse, docet CLEMENS ALE-  
 XANDRINVS. (c) Illam sane sapientiam, qua maiores  
 duxit diuitias probrum Christi, quam thesauros Aegy-  
 ptiorum, praemiumque spectauit, Hebr. XI. 26. ab Ae-  
 gyptiis discere non potuit, a quibus omnia eum tradu-  
 xisse, temere nimis & audacter CLERICVS in Penta-  
 teuchum statuit. Nec caeteros quoque Hebraeos sub  
 dura illa ac diuturna seruitute adeo obbrutuisse, ut acce-

F ptae

(a) *Sequor.* Chaldaeum, Philonem, Iarchium, Abarbanclem,  
 alios. Guil. Boniour *diss. Rom.* 1696. *seruatorem orbis*, Andr. Mul-  
 lerus, *Greiffenbagius*, in *glossario sacro populi seruatorem interpretatur*,  
 quorum placita excutit Eybo Hoppius *diss. de philosophia Josephi*  
 §. 6. (b) *lib. I. de vita Mos.* (c) *Strom. I.*



ptae a maioribus symbolicae doctrinae plane dememinerint, contra Philosophos ac Theoristas nonnullos in Anglia, NEWTONIque discipulos, mascule nuper. DEYLINGIVS (a) defendit, ac ne exprobratio Israelitici stuporis ad minuendam sapientiae ac religionis Mosaicae auctoritatem (quod DICKINSONVS (b) verebatur) trahi ulterius posset, erudite cauit. Ipsa seruitus, inflammans animos, ipsa regio Aegypti, ardente sole torrida quidem, sed Nili exundatione ventisque e septem trionibus mitigata, terra, per quam commeabant, sterilis, multique conflictus & moerores, tum manducatio subtilis mannae, aquarumque bibitio limpidissimarum, purus ac temperatus in desertis locis aer, demum in ipsa Chananaea tot labores, bella, fata excitabant eorum ingenium, & acuebant indies magis, ut mirifice pollerent imaginatione, & ad res sensiles, ex quibus sunt emblemata, apti nati essent. Quam indolem cum non potuerint tam cito postea exuere, atque adeo conseruare omni opum vi studuerint, tum accedente insuper ipsius quoque institutione DEI, sub pluribus paulatim emblematis mysteria eloquentis per Prophetas, tamque exacta religionis rituumque cura, quibus res illae mysticae adumbrabantur piis, eam perfecerunt magis, quod & ex parte HVARTVS (c) commonstrauit. Quam pulchre hinc MOSES & praeteriti historiae aevi Patriarcharum in libro Jobi, (cuius & ipsius autorem, eum habeo cum Judaeis (d)) inque Genesi, & praesentis

(a) *Orat. de Israelitarum Aegyptiacor. ingenio, subiuncta obseruat. sacrar. part. 1. p. 210. ff.* (b) *in Phys. vet. & vera c. XIX. §. 16. p. 425.* (c) *l. c. c. XV. p. 429. ff. conf. Arist. Polit. Ell. 2.* (d) *Talmo Baba Batra c. 1.*



tis institutioni oeconomiae, & praedictioni futurae in caeteris Pentateuchi libris emblemata inferuit, admiranda sane posteritati. Vt in tota domo Dei omnibusque eius partibus fidus merito praedicetur ab ipso Deo Num. XII. 7. Hebr. III. 2. ex cuius vastissimo prophetiae oceano tam multa caeteri quoque Prophetae emblemata deriuarunt, ut nec adspernari potuerint nouitatem, nec simplices desiderare claritatem. Quod in ipso statim MOSES exordio Deut. XXXII. 2. inuenitur emblemata coeli, rorem fundentis, id deinceps alibi quoque passim sparsum reperitur apud SAMVELEM 2. Sam. XXIII. 4. DAVIDEM Ps. LXXII. 5. EZECHIELEM XXI. 2. AMOSVM VII. 16. HOSEAM VI. 3. Sed prout cuiusque tamen genius natura usuue peculiariter constitutus fuit, ita & sua nonnunquam singulis peculiariter fuere emblemata. ESAIAS, regiae innexus stirpi, admodumque eruditus, populum vt hominem a planta pedis usque ad caput, morbidum I. 5. s. Deum ut splendide vestitum sedentemque in folio, VI. 1. ff. felicitatem regni Christi ut regium conuiuium XXV. 6. comitissima sistit oratione. AMOSVS e contrario, pastor Thecoanus, animalium, auium, arborum crebram facit mentionem in sua prophetia. Neque vero propterea adsentior SPINOZAE, (a) quasi haec omnia a sola pependissent ipsorum imaginatione Prophetarum, Deique hic nullus sit appareatue proprius stylus. Quin ita hoc negotium moderatum arbitror Deum, ut nunc ipsa quoque cum rebus inspiraret verba, nunc verbis quidem Vatum indoli conuenientibus se attemperaret, quoad nec vitio-

F 2

infe-

(a) *Tract. Theol. Polit. c. II. p. 20. f.*



infecta, & rei digne exprimendae idonea erant, sed & subinde scintillas adspargeret suae maiestatis, efficeretque adeo, ut eloquentia diuina, admixta humanae, fatis pelluceret. Sane qui stylo hominis Es. VIII. 1. non deprehendit insertum το θειον, is mihi vim virtutemque sacrorum oraculorum nondum videtur expertus. Quid magnificentius illis ESAIAE tessellatis emblematis, ut vocat THEOD. BIBLIANDER, (a) sed & quid diuinius?

ועשה יהוה צבאות לכל-העמים  
 כהר הזה משתי שמנים  
 משתי שמרים  
 שמרים מוקקים:  
 ובלע כהר הזה פני הלוט  
 הלוט על-כל-העמים  
 והמסכה הנסוכה על כל-הגוים:

& quae sequuntur plane extraordinaria. Ex quorum & positi elucet denuo, quam parum a poetica ratione absint prophetica effata, maxime si adeo adstricta fuerint ad carminum legem: quae tamen non ad normam metri Graeci aut Latini versuumque lyricorum, ut volebat GOMARIUS, nec ex rhythmis, ut CLERICUS contendebat, aestimanda sunt, sed ex augusta illa dictione, cum eleganti vocum symmetria, numero syllabarum, & accentuum constitutione, qua sunt ad musicam eiusque leges, ut cantari potuerint, attemperata. Videantur de his BORREMANSII (b) & CAPELLI, (c)

(a) in ratione discendi Hebraica. (b) dial. de Poetis & Proph. e  
 (c) de Poesi Hebraeor.



e Belgis TILLII (a) ex Italis GAROFALI, (b) e nostratibus AVIANI, EBERTI, SENNERTI, PFEIFFERI commentationes, & quae contra MEIBOMII audax commentum MAIVS, GEBHARDVS, nuperque demum ENGELKENIVS admonuere. Spatium me deficeret, si de singulis singulatim exponere hic vellem, de EZECHIELE, de ZACHARIA, de reliquis, a quibus haec ratio, ab ipso quoque CHRISTO & Apostolis obseruata, ad seros usque posteros durauit apud Hebraeos, Syros & Palaestinos, quod, qui in his locis vixit, HIERNYMVS (c) quoque obseruauit, ut oratoriae Iudaicae nulla fuerit familiar figura. Cum autem dicitur, ab obitu R. MEIR, qui paulo post excidium II. templi floruit, defecisse parabolizantes, (d) tum id videtur innui, quod hic prae omnibus in his flosculis excelluerit, non vero, quod is color a gente plane deperierit, natura, ut ostendimus, in huiusmodi rhetoricam inclinante. Ceteriores namque Iudaei, & ipsi imitatores maiorum, inuita Minerua quaedam confinxere: quae licet acumine destituerentur, & portentosa potius essent, quam erudita, donec ABENESRA & MOSES MAIMONIDES desierunt nugari, id tamen commune cum antiquis illis habuerunt, quod & ipsa sub iucunda imagine res proponerent. Vnde magnopere errarunt adhuc ii, qui omnes promiscue parabolas Iudaeorum, forte nunquam lectas, aut recte expensas, secundum corticem litera-

F 3

rum

(a) *Tr. de veterum imprimis Hebraeorum Poetica ac Musica tam vocali quam instrumentali. Belg.* (b) *Considerat. de Poesi Hebraeorum & Graecorum. Italice.* (c) *in Matth. XXVIII.* (d) *Talm. Sotab. s. IX, bal 15.*



rum sunt interpretati : quod prudentiores dudum Hebraei & VORSTIVS, (a) tum e nostratibus quoque SCHIKKARDVS, (b) DILHERRVS, (c) ipseque SCHERZERS, (d) BVDDEVS (e) & alii valde iniquum esse, rationibus & exemplis docuerunt. Neque dubito, quin magna pars fabularum ab imputata absurditate salua possit conscientia absolui, quod contra HVL-SIVM, (f) id negantem, satis ostendit JOH. HENR. WOLFIVS dissertatione de portentosa magnitudinis aue, Ziz Zadai dicta. (g) Proinde illae veterum Hebraeorum parabolicae locutiones, ut nuper scribebat SVRENHVSIVS, (h) nobis non ut nouae, vel inauditae, vel stultae videri debent, minime vero: sed stulti merito haberi debent ii, qui id nimia stultitia occaecati credunt. Sed cum tamen multa in odium Christianorum non solum lana Meschatica, sed etiam peplo Mercata-midrafico obtexerint, & ridicule obuoluerint plurima, infinitis modis grauiora, sanctiora, diuiniora veterum Prophetarum eloquia fuere. Innotuerunt haec adeo remotis gentibus, non secus ac ipsa lex MOSIS, cuius liber adeo lectus videtur priscis Graiis, in ea scilicet versione, quam illa LXXII. virorum antiquiorem existisse, testantur ARISTOVLVS (i) & ARISTEAS, (k) lateque post plerosque ecclesiae Patres probant e nostratibus WALTHERVS, (l) NEANDER,

(a)

(a) not. in Pirke Eliezeris. (b) Bechin. Happerusch. disp. VI. p. 123. (c) in Atr. L. S. p. 89. (d) in specim. Theol. myth. Hebraeor. subjuncto eius Operae pretio orientali p. 155. ff. (e) de Philosopho, fabular. amatore §. 9. in Anal. histor. Philos. p. 60. f. (f) Theol. Iud. 1. p. 445. ff. (g) §. 46. ff. (h) praef. ad part. VI. legg. Miscnic. (i) apud Euseb. de praep. eu. IX. 6. XIII. 12. (k) histor. de versione LXXII. (l) Officin. Bibl. §. 319. p. m. 265.



(a) CALOVIVS, (b) VOIGTIVS (c) ENGELBACHIVS. (d) Cum autem calor regionum cum recto cibi usu animique cultura ingeniosiores reddat homines, tanto maior caeterorum quoq; ad orientem populorum in emblematis solertia fuit, imprimis cum Hebraeorum tam vetusto tamque celebri in orbe incenderentur exemplo, & consuetudine edocerentur: quorum tamen singuli pro sui ratione genii varie ea excoluerunt. Aegyptios certe occulta sapientiae suae mysteria manifestis tum verbis tum formis hieroglyphicis inseruisse, quae lapidibus inscripta in templis collocabant, autor nobis est DIODORVS, (e) PLVTARCHVS (f) CLEMENS Alexandrinus, (g) & PROCLVS, (h) itemque JAMBLICHVS (i), & qui primus nominari debebat, HORAPOLLO integris libris. Vel sola ea de re testatur mensa Isiaca, a LAVR. PIGNORIO eruditissime illustrata, & reliqua symbola, quae ex antiquis collecta varie exposuerunt JOH. PIERIVS, Valerianus, PROSPER ALPINVS, MICH. MEIERVS, NIC. CAUSSINVS, JOH. BAPT. CASALIVS, ATH. KIRCHERVS, JOH. MARSHAMVS, JOH. SPENCERVS, & qui huic se opposuit, HERM. WITSIVS, uti OL. BORCHIO HERM. CONRINGIVS: quorum multi tamen vastis licet voluminibus operae pretium non fecerunt.

De

(a) praef. ad erotem. lingu. Hebr. (b) in Crit. sacro diatr. X. p. 463. (c) de sacra Triade. (d) diss. de vers. Graeca LXXII. antiquiori. (e) in Biblioth. lib. III. (f) in Iside. (g) Strom. lib. I. & V. (h) in Timaeum (i) de mysteriis, tit. Expositio symbol. Aegyptiae Theol. & libro de mystica Aegyptior. Theologia, in bibliotheca Holsteiniana asseruata.





Aethiopicis & Arabibus DIODORVS (a) & HELIODORVS; (b) de Persis, Syris & Indis ORIGENES; (c) de Chinesibus KIRCHERVS (d) & MULLERVS; (e) de ipsis quoque Scythis CLEMENS Alexandrinus, (f) idem commemorant, & qui testimonia congeffit, OTTO HEVRNIVS. Ab Aegyptiis Graeci traxere, Philosophi, Platonici imprimis & Pythagorici, PLVTARCHO (g) teste *μικρα των μεγαλων συμβολα ποιουντες*, quos inter excellit NVMENIVS, adeo harum rerum curiosus, ut, si ORIGENI (b) fidendum, multa e MOSIS quoque & Vatum Hebraeorum monumentis deprompta, inseruerit suis, dicere solitus secundum HESYCHIVM Milesium: quid ipse PLATO, nisi MOSES atticissans? Quin omnes, qui olim de diuinis tractarunt, tam Barbaros, quam Graecos, veritatem emblematum inuolucris occultasse, siue ea per traditionem ab orientali- bus ipsis, siue per alios acceperint, ex historia certe condocet CLEMENS Alexandrinus, (i) quod & obseruat CLAVD. MINOS. (k) Excellueruntque adeo iudice IAMBlichO (l) Barbari Graecis, quod cum hi ingenii quadam leuitate nouandique pruritu multa mutaue- rint in deterius, illi contra moribus grauiores stabilio- resque, in iisdem sermonibus perseuerauerint firmiter. Monstrare hoc possem vel Druidum exemplo, e Britan- nia in Galliam & Germaniam progressorum: sed quia id  
alias

(a) *Biblioth. III. 2.* (b) *in Aethiopicis.* (c) *aduersus Celsum lib. I.* (d) *in China illustrata part. III. c. 2. f.* (e) *in examine mo- numenti Chinici.* (f) *l. c.* (g) *Quaest. Rom. p. 277.* (h) *aduersus Cels. lib. IV.* (i) *l. c.* (k) *praef. ad Alciat.* (l) *de myst. tit. de nominib. diuinis.*



alias (a) iam abunde est praestitum, actum nunc non agam.

§. 14. Etsi vero ab his multa paulatim immutata sunt varie, ac transformata, ut fieri in eiusmodi rebus solet, quo tamen propius symbola gentium absunt ab antiquitate, eo saepe pulchrius conueniunt cum diuinis. Neque adeo est mirandum, si emblemata Vatum Hebraeorum cum HORI APOLLINIS, aut JAMBLI-CHI, vel ARTEMIDORI conferas figuris, eorum tam frequentem esse consensum. Quin vel hinc redditur perspicuum, certum ea consuetumque vetustis temporibus habuisse significatum, neque tam olim quibusuis obscura fuisse, quam quidem nobis hodie inexercitatis videntur. Qua de re ut constet manifestius, pauca nunc dabo, sed luculenta exempla. Et MOSI Prophe-tisque & APOLLINI Niliaco canis Vatem ac iudicem; porcus impurum hominem ac perditum; aquila Regem seuerum adumbrat ac saeuum, quique infestis prouin-ciam inuadit signis. Quo sane etiam ARTEMIDO-RVS (b) tendit, cum vultures & aquilas ait abominan-dos hostes significare. Leo regnum aut dominatum; bos obsequium; equus & aries bellum; capra edomi-tam petulantiam in sacris & Hebraeorum & Aegyptio-rum aliorumue designant apud PIERIVM, celebrem illum scriptorem hieroglyphicorum, qui, quidquid ad omnem figuratam sapientiam spectare possit, ex diuer-sarum gentium usu ac institutis summo collegit studio, ac comportauit. Plura supersunt, in quibus illorum.

G con-

(a) *diff. de origine literar. apud Germ. ad Tac. Germ. XIX. 1. §. 11. ff.* (b) *Onirocr. II. 20.*



concordiam CLEMENS Alexandrinus (a) pridem ostendit, utpote cui haec explorata est veritas: *ομοιοτητα γουν τοις εβραϊκοις κατα γε την επιγραφην και τα των Αιγυπτιαων αιτιγματα.* (b) SPENCERVS (c) hinc etiam Cherubinos Mosaicos, occultorum indices mysteriorum, cum Aegyptiorum comparat hieroglyphicis formis, sed eo consilio, ut Hebraeos ab Aegyptiis hanc sacra tradendi rationem mutuatos demonstret: quam sententiam, nimium sane profanam, WITSIVS (d) & WAYENIVS, (e) e nostratibus DEYLINGIVS (f) alique merito passim confoderunt. Neque enim dignum omnino Deo, aut ad tam sanctae decus religionis comparatum, a gente profana desumere figuras, quibus res sui Filii tam arduas tamque diuinas depingeret, suoque populo ob oculos poneret: quod nec ullo paradoxus iste idoneo teste potuit comprobatum dare. HIER. PRADVS, (g) cui visiones propheticae sunt quasi scripturae Aegyptiacae, sacris characteribus exaratae, currum quoque EZECHIELIS istis ex hieroglyphicis non dubitabat explicare, quo successu? iam non disputo. Sed quod, inquit, sapiens Aegyptius comminisci potuisset, hoc ipsum Dominus, sese nostro accommodans captui, inuenit. Nihil frequentius diuinis Viris, quam ut Deum ignem vocent & lucem, aequae ac Chaldaei ignem lucentem apud STANLEIVM, (h) quippe quo suam praesentiam declarare solitus est Deus, cum hominibus locuturus:

(a) *ll. cc.* (b) *lib. V.* (c) *de legib. Hebr. ritualibus. III. diff. 5. p. 255. f.* (d) *in Aegyptiacis.* (e) *in Variis sacris.* (f) *in orat. cit.* (g) *in Ezech. quas commentationes Villalpandus suppleuit.* (h) *Hist. Philos. orient. l. sect. 2. c. 13.*



rus : vnde & cultus ignis ac solis apud Persas, de quo legi potest THOM. HYDE. (a) Nectamen inde colligi cum CLERICO (b) debet, a symbolis Aegyptiis & Chaldaicis orta Hebraica, vestigia adhuc gentilismi habere: quod dum de anthropopathiis falsum esse ostendit ENGELKENIVS, (c) simul totam hanc opinionem erudite refellit.

§ 15. Ita nimirum conveniebat Mosaicae oeconomiae, ut coelestis doctrina de Christo, mundi Servatore, umbris inuolueretur, ac imaginibus Prophetarum. Cumque nec sensu illa, nec mente natura comprehensa sit unquam, aut potuerit comprehendi, ut nos docet ESAIAS LXIV. 4. σοφία θεου εν μυστηριω: fuit I. Cor. II. 7. nonnisi piis isthocaeuo patefacta. Externum namque illud inuolucrum, reconditas habens diuinas veritates, & quasi inclusas, quas in intima quaeuis penetrans Spiritus rimatur I. Cor. II. 10. mysterium in Scripturis appellari Ps. LXXVIII. 2. Matth. XIII. 35. Eph. V. 32. Apoc. I. 20. LV THERVS (d) iam adnotauit. Quae ratio occulta docendi cum non solum prouectioribus placeat, ob iucunditatem, sed & imperitioribus conducatur in primis, puerisque inseruiat erudiendis, quorum tenella aetas emblematis atque parabolis gaudet, \* ut scribit ABENESRA, (e) antiquis certe Hebraeis ea fuit accom-

G 2

com-

(a) in historia Persia (b) indice Philol. ad Stanl. (c) diss. de anthropopath. (d) tom. I. Jen. Germ. f. 431. b. & tom. II. f. 146. b. \* Quod Colotes, inter Epicureos loqua citate notabilior, obiicit Platoni, fabulam a Philosopho, utpote doctore veri, non oportuisse consingi, id non uno argumento diluit Macrobius in Somn. Scip. l. 2. (e) praef. rhytm. in leg.



commodatissima, quos tanquam infantes inducit PAV-  
LVS, tutoribus & curatoribus obnoxios, & elementis  
mundi, quae inter eminebant sacrificia, adstrictos. Gal.  
IV. 1. ff. Etsi enim lex, ultra promissionem, quae inter  
Patriarchas celebrabatur, addita, seuerius coercebat po-  
pulum *σκληροτραχηλον* Ex. XXXII. 9. XXXIII. 3. Deut.  
IX. 13. Jer. XXXI. 32. & singulos coarguebat debiti sui, sola-  
batur tamen pios, vindicem figurando, pro ipsis sanguine  
soluturum. Placebatque sapientiae diuinae ac bonitati, isto  
corporeorum ad spiritualia respectu sub ipso iugo vege-  
tare animos, & erigere, imaginibusque adeo depinge-  
re res sacras, quo tanto diligentius mysterium euoluere-  
retur. Hinc PAVLVS legem vetusti pacti & cerimo-  
nias *χειρογραφον* quidem *αυτοις υπεναντιον* Col. II. 14. sed  
& *υποδειγμα* vocat, & *παραβολην*, & *σκιαν των επουρανιων*  
Col. II. 16. f. Hebr. VIII. 5. IX. 9. X. 1. hoc est, umbram, non  
respectu coelestium, sed umbram coelestium, quae  
adumbrarunt. Ipse ABENESRA in holocaustis arca-  
na mysteria agnoscit, futura Messiae tempora respici-  
entia: quin singula sacrificia, vt ait HIERONYMVS ad  
Paulinum, imo singulae pene syllabae & vestes, Aaron  
& totus ordo Leuiticus coelestia spirarunt sacramenta,  
quae e nostratibus dudum BACKMEISTERVS, (a)  
FRANZIVS, (b) BALDVINVS, (c) alii gnauiter erue-  
runt, posterisque exhibuerunt contemplanda. Denuo  
hic nobis obloquitur cum MARSHAMO SPENCE-  
RVS, (d) nec omnes, sed aliquos tantum ritus ad mysti-  
ca

(a) in explicatione typorum V. T. (b) in Schola sacrific. (c) in  
Aduentu & passione Christi typica. (d) de legg. Hebraeor. ritualib.  
l. II. p. 159. f.



ca designanda putat institutos, cum eorum non pauci, ut de somniis quibusdam dixit ARTEMIDORVS, sint *ξηροί και ωσπερ ουκ εχοντες λαβας*. Sed eius tamen rationes nil aliud nobis persuadent, quam quod in his non nimis debeamus arguti esse, & quodlibet cerebri commentum pro mysterio recipere, aut coniecturas venditare pro veritate: optandumque esset, ut in exquirenda eorum mystica ratione SONNTAGII industriam imitentur plures. Quin res quoque veteres ac gesta priora inde ab Abrahamo PAVLVStypos nominat rerum noui testamenti 1. Cor. X. 6. 11. Gal. IV. 3. & allegorias Gal. IV. 24. Ipse quoque CHRISTVS historiam Hebraeorum usque ad Dauidem parabolam nuncupat, qua res ab orbe condito absconditas eloquatur Ps. LXXVIII. 2. coll. Matth. XIII. 35. cuius proinde *αποδοσις* in historia recentis pacti est quaerenda. Ita enim Deus actiones vetustas mirabiliter direxit, ut iis simul occulte praemoneret, quid in ecclesia saeculis posterioribus mali boniue esset euenturum, adeo ut qui ex iis nil eruat arcani, is iudice SASCERIDE, qui de hoc argumento integra oratione pulcherrime differuit, (a) nequaquam explicuisse plene censeatur. Quocirca & ipsos olim Judaeos Christum in iis, tanquam primarium Scripturae scopum, quaesiuisse, vel sola ex Genesi IOH. IVSTVS LOSIVS nuper commonstrauit. Huc & MOEBII Ionas typicus, & BVDDEI peccata typica pertinent, & alia multa, quae breuitatis studio praetermittimus. Vt paucis rem eloquar cum AVGVSTINO, (b) quid est, quod dicitur:

G 3

dicitur:

(a) *Orat. de mysterio III, Patriarchar. Witteb. edita ann. 1585.*  
 (b) *de C. D. XVI. 26.*



dicitur vetus testamentum, nisi occultatio noui? & quid est quod dicitur nouum, nisi reuelatio veteris? Quare cum eiusmodi fuerit religio Hebraeorum, vt non immerito cum LIGHTFOOTO (a) totam fere parabolicam vocaueris, quae sub externis factis ritibusque occuluit profundiora, non mirum, quod par quoque illi in sermonibus elocutio fuerit, symbolis videlicet ac emblematis ornata, ac modo liberalius, modo parcus perspersa, prout utilius in publicum est visum. ESAIAS certe nunc assurgit vehementer per emblemata, ut capite V. nunc se demittit, cum de Christo vaticinatur, ut capite LIII. nec inuolucris & verbis obscuritate velatis, qui mos est Vatum, sed aperte detecteque praedicit ventura, ut totidem verbis HIERONYMVS (b) pridem, nosterque STRIGELIVS (c) aiebat. EZECHIEL obscuriores habet parabolas, sed & earum modo addit explicationes, ut XI. 3. 7. XXIV. 3. 9. modo non addit, ut in curru, quo tanto diligentius mysterium euoluatur. Hof. XIV. 10.

§. 16. Sed si ita est, qui fit, ut in nouo etiam testamento, cui maior lux & claritas est promissa, atque adeo in ipsis orationibus Seruatoris istiusmodi emblemata reperiantur? Ratio est in promptu. Loquebatur enim CHRISTVS ad Iudaeos, his, uti dixi, ab ineunte adfuetos aetate, nec dum sublata tum erat synagoga, ac vetus ratio docendi. Oeconomicum namque eius regnum, ab ipsius in coelum adscensu demum coepit, ut recte cum KOENIGIO (d) nostrates monent, tumque euangelio per orbem praedicato, perspicueque propo-

(a) *Hor. Hebr. in Matth. XIII. 3. p. 355.* (b) *Prologo ad Paul. Eustoch.* (c) *orat. XVII. de Es.* (d) *Theol. posit. part. III. §. 247. & 266.*



sito uniuersis, plenius erupit Hierosolyma excisa, & vastato templo. Hinc, quoad Prophetam ipse agebat, emblemata adhibebat Vatum, quibus adsueta erant Iudaei, nec ex Rabbinicis schedis, ut SHERINGHAMIVS (a) putabat, sed ex communi omnium ore, aequae ac ipsi Talmudistae, promebat parabolas suas, quo ab omnibus intelligeretur. Quo minus nouum videri debet, similia illis, quae de diuite epulone Luc. XVI. 19. ff. de operariis in vinea Matth. XX. 1. ff. de quinque prudentibus & totidem fatuis virginibus Matth. XXV. 1. ff. differuit, in Talmude quoque reperiri, quod post BVXTORFIVM, (b) SAVBERTVM (c) & alios adnotauit JVL. CONR. OTTO. (d) Complura vero & peculiaribus expressit emblematis, & depinxit, quae tamen non auditoribus minus quam rebus essent congrua, ut illud boni seminis & zizaniorum, grani sinapis & similium Matth. XIII. quorum ideo significatum sibi discipuli expetierunt. Quod autem ex PLATONE transfumserit aliqua, commentum est, indignum consideratione, & iam alibi (e) a nobis reiectum. Id itaque nunc miror, ex hoc Seruatoris exemplo CARPZOVIVM (f) iuniorem, & qui eum plerumque sectari solent, hodiernas conciones schematicas, quas vocant, probatum ire. Nam etsi has non sine discrimine omnes repudiamus, quod nec impetitus ab eo SANDHAGENIVS noster fecit, ex isto tamen capite non putamus, ni aliae accedant rationes, satis commendari.

(a) praef. in lib. Joma. (b) in Thes. Gramm. p. m. 662. (c) Palaestra Theol. Philol. disq. XII. ad Luc. XVI. 22. s. p. 277. s. & alibi passim. (d) in Gali Razia l. 16. (e) diss. de parab. Christi prophetia §. 15. (f) Theol. exeget. p. 277.





dari. Ad ipsam vero euangelii & epistolarum consignationem quod attinet, ab Euangelistis & Apostolis factam, sapientissime eam rem moderatus est Deus, ut proprietates primae linguae non solum se diffunderet per veterem Scripturam, sed etiam se insinuaret in Graecismum noui testamenti, quemadmodum LAVR. FABRICIVS (a) hic loquitur. Nam etsi dialectus Macedonica, cum Alexandri imperio in Asiam traducta, & ipsa discedebat ad Asianum tumorem, quod Rhodii apud LIVIVM (b) non diffitentur, speciatim tamen & hoc accedebat, quod Iudaei non solum ex patria lingua multa illi peregrinae admiscerent, sed & in synagogis uterentur versione Alexandrina, quae formam retinuit sermonis antiqui. Inde demum noua illa dialectus orta, quam JOS. SCALIGER (c) primus Hellenisticam appellauit, & usurpata tunc temporis Hebraeis, nec Graecis eorum consuetudine fruentibus ignota, adeoque, ut CICERO docet, communis. Ad quam dum sermo deflexus est a sacris Viris, & veteri testamento lux accensa ex nouo, & nouo conciliata autoritas ex veteri, & mysterium coniungendarum cum Iudaeis gentium vel sic indicatum. Sed & singuli, ut animorum habitu distincti ab inuicem fuerunt, ita & suos habuerunt peculiare dicendi modos, ad eorumque, ad quos scripserunt, studia, mores, ritus respererunt prudenter. Hinc illae PAVLI philosophicae, rituales, gymnicae locutiones, quarum pondera, iudice MELANCHTHONE, (d) sine liberali eruditione non intelli-

(a) in praefat. *Gymnasia Syriaci, a Crinesio editi. Conf. Iac. Martini praef. N. T. Syr. Barth. Meier. Philol. S. P. 1. p. 382.* (b) *Lib. XLV. 24.* (c) *Animadu. in Proleg. Hier.* (d) *Declam. Tom. I. p. m. 120.*



intelliguntur. Cum Romanis doctrinam de iustificatione vellet explicare, complura de lege, de iustitia & more iudiciorum, de adoptione & similibus afferebat, quae ex Jurisconsultis exposuere HVBERI. Cum Corinthiis commendaturus esset fidei ac pietatis constans studium, multas dictiones e ludis Graeciae transsumsit, & in rem suam vertit, quas planas nuper denuo fecit SCHOEPFERVS. I. Cor. XV. 32. se scribit Ephesi cum bestiis colluctatum, hoc est, cum Ephesiis, quos ipse eorum ciuis, HERACLITVS, *Ἡρακλῆς* vocauerat. Hebraeis Christum eiusque munera ac beneficia ex umbris rituum veteris testamenti declarat, & sic reliquis etiam se attemperat perpetuo. Hinc & aliae aliorum profluxerunt emblematicae dictiones, ipsorum ingenio, istique aeuo accommodatae, quas ne enumerare quidem in hac angustia licet. Nimirum Deo nemo rectius nouit, quae forma diuinarum literarum variis hominum ingeniis conueniret, intereratque publice, consilium pacis promissionesque diuinas, & fata coelestis regni ita proponi a diuersis, ut ex iis, quae unusquisque quasi partitim sub peculiari nonnunquam emblemate exprimebat, uniuersum mysterium certius clariusque & iucundius cognosceretur. Quod autem JOHANNES tot in Apocalypsi proponat figuras, id minus videbitur mirum, si cogites, eum futura ecclesiae fata praedixisse, & ita quidem praedixisse, ut cum veteris testamenti prophetiis serualet *ἀποκάλυψιν*. Apoc. X. 7.

§. 17. Nimirum non postrema ratio styli ex ipsa arcessitur natura rerum, quae prout variat, ita & variare oportet dictionem. Tria autem sunt, ad quae  
H refer-



refertur, quidquid in Scriptura, atque adeo in omni Theologia doceri debet, aut disci: priuilegia, praecepta & fata diuini in terris regni. Priuilegia & praecepta non conueniebat fere nisi simplici maxime stylo ac aperto proponi a Deo, ut quae beneficia acciperet, quaeque vicissim deberet officia, & quae in uniuersum credenda sibi, quaeque agenda essent, perspicue populus cognoscere posset, & quiuis ad salutem erudiri. Neque enim vel Princeps terrenus sententiam nisi grauiter dicit, neque flores adspergit edictis suis, ne quid decedat, suae maiestati. Quo sublimior autem est maiestas Dei humana omni, eo mirabilior est quoque *συνταβασις* eiusdem, toties celebrata a Patribus antiquis, (a) cui soli adscribendum, si quae ad captum hominum accommodata emblemata adspergantur, diuinisque admisceantur effatis. At ubi haec amplius explicantur a DEI Legatis, inculcanturque feruidius, uberius quoque nonnunquam emblemata adhibentur, quam in plano euangelio fieri videmus atque lege. Fata praeterita quoque enarrantur euidenti genere dicendi, nisi vel forma dramatis proponantur, ut in libro Jobi, vel panegyrico quodam quasi ornentur vestitu, ut in quibusdam DAVIDIS psalmis. At futura, & quaecumque DEVS ad tempus vult abstrusa esse, ac obfignata, multis inuoluntur emblematis ac figuris, ut docent visiones EZECHIELIS, DANIELIS somnia, tota denique Apocalypsis JOHANNIS. Quo fit, ut cum emblemata habeant suos certos significatus, generatim quidem intelligi

(a) *Vid. Origenes contra Celsum IV. Hilarius in Ps. CXXVI. Augustinus de Trinitate I. 12.*



telligi prophetia, sed speciatim ac distincte in singulis cognosci non possit, quoad euentus non explicauit figuras. Hinc IRENAEVS (a) omnes prophetias, priusquam habeant effectum, aenigmata dicebat & ambiguitates esse hominibus: quod ipse quoque Deus innuit, apud DANIELEM VI. 9. & variae in his interpretum sententiae discrepantesque confirmant opiniones. Non alia sane causa erat, cur diuus LVTHERVS (b) intellectum templi EZECHIELIS reiiceret in futuram vitam, eiusque exactiorem contemplationem committeret curae posterorum.

§. 18. Vidimus rationes emblematum & fundamenta: iam genera quoque eorundem percurrere, e re nostra erit. Nam etsi, aequae ac metaphorae, non magis intra certos limites constringi posse videntur, quam totus oceanus cyatho exhauriri, & asportari: (c) tamen si generatim a nobis spectentur, in classes distribui commode queunt. Sunt itaque, ratione habita imaginum, a quibus ducuntur, I. *naturalia*, quae ex rationalibus Philosophorum obseruationibus de natura rebusque naturalibus, in Palaestina maxime obuiis, declarantur, ut nubes pro copiis Ezech. XXX. 18. mare pro mundo Es. XXVII. 1. aut regno mundi Es. XIX. 5. quo & pertinent anthropopathiae, a GLASSIO (d) diligenter pertractatae. Scriptura enim, ut recte hic pronunciat RIVETVS, (e) cognitionem omnem Philosophicam sibi subtrauit, eque rerum naturis tantum adsumsit, quantum

H 2

tum.

(a) IV. 43. (b) *praef. in Ezech. fin.* (c) *Glass. lib. V. tract. I. c. 6 p. m. 1114.* (d) *l. c. c. 7. p. m. 1116. ff.* (e) *in Isag. ad Script. S. c. V. p. 49.*



tum opus fuit ad fabricandum speculum, per quod  
 diuina oculis nostris vel quodammodo possent reprae-  
 sentari. Neque adeo in his quoque temere admittenda  
 est accommodatio ad vulgi errores, quam sibi licenti-  
 am sequiori tempore Copernicani sumserunt, & Carte-  
 siani, eorumque sectatores. Dicta fuerit obscuratio so-  
 lis ab iis, qui falso sibi persuaserunt, ipso in corpore so-  
 lis diminui lumen. Scriptura cum soli lucem aut tene-  
 bras attribuit, indeque promit emblemata sua, respicit  
 ad terram, vt MOSES ipse Gen. I. 15. 17. docere potest, nec  
 celat causam obscurationis, quae est inter solem & terram  
 interpositio corporis opaci. Audiamus Deum, per EZE-  
 CHIELEM XXXII. 7. de excidio Regis Aegyti hac lo-  
 quentem figura: Operiam te extincturus coelum, e-  
 iusque atrabo stellas, solem ipsum nube obducam, &  
 quae sequuntur. Nec WITTICHIVS, (a) deterior  
 ipso SPINOZA, cui tamen BRVNSMANNVS noster  
 satisfecit integro libro, (b) nec affecit etiam eius ullam  
 adhuc protulerunt dictionem, erroneo subnixam funda-  
 mento. Falso putant 2. Sam. XXII. 8. montes ap-  
 pellari fundamenta coelorum, quod hi illis inniti vide-  
 antur, quemadmodum & Poetae dixerint, coelum ab At-  
 lante sustentari. Sed in loco parallelo Ps. XVIII. 8. fun-  
 damenta montium vocantur, neque adeo sunt montes,  
 sed terrae partes, montes ac ac aethera sustentantes, em-  
 blema Iudaicae politiae. Iud. v. 3. planetas putant fal-  
 so erraticos dici, quod tales videantur, nec aduertunt,  
 stellas coeli aerei designari, quales sunt ignes fatui, &  
 sidera

(a) in Consensu verit. (b) Inscribitur: Gratia naturae inter-  
 Pres. Vid. III. 13. p. 118. f.



fidera Helenae, emblemata falforum Prophetarum. Multo autem dementior his CNVTSENIUS, (a) dum ex Act. X. 12. 16. Scripturam absurditatis connititur insimulare, quod quadrupedes ac vermes proprie sic dictos dari in coelo doceat, prae aestu peruersi animi non cogitat, visionem symbolicam describi, quae etiam EZECHIELI I. 10. vitulum, & DANIELI VII. 4. leonem obtulit alatum, qualis non fuit in natura, sed in spectaculo illo emblemata fuit rei sublimioris. Sed progrediendum est, & reliqua etiam genera breuiter percurrenda. Sunt itaque II. *artificialia*, quae ex regulis praeceptisque artium foenerantur lucem, ut arcus pro instrumento homines coercendi, sagitta pro subito malo, clypeus pro defensore aduersus ingruentia pericula, & caetera, quae pertinent ad πανοπλιαν, Eph. VI. 13. ff. percensita. Sunt III. *historica*, quae ex cognitione gestorum veterum pendent, ut praeparatio viae per mare Aegypti Es. XI. 15. pro liberatione ecclesiae a tyrannide, manducatio mannae pro fruitione Christi, in euangelio oblata, de qua erudite iam olim differuit WALTHERVS, (b) crucifixio Christi Apoc. XI. 8. pro ecclesiae diuexatione. Sunt IV. *personalia*, quae ex collatione patent personarum, ut Elias pro Iohanne Baptista, Rex David & Salomon pro Christo, Rex Tyri pro Antichristo. Quo referas. & *geographica*, ut cum Hierosolyma & Zion pro ecclesia noui testamenti, Babylon, Sodoma, Aegyptus pro coetu ponitur Antichristiano, cuius illae ciuitates & regna fuere typi. Sunt V. *moralia & oeconomica*, quae

H 3

ex

(a) in epistola, quam in contin. H. E. Micraelli exhibet Hartnacc. p. 2291. (b) lib. de manna.



ex similitudine actionum bonarum vel malarum, ex indole populorum & consuetudinibus domesticis interpretamur, ut fortis pugna pro nisu aduersus peccata, scortatio pro cultu idolorum, vestitus pro iustitia piorum & sanctitate ipsis digna. Sunt VI. *ciuilia*, quae ex consideratione rei publicae Hebraeorum intelliguntur, aut gentium finitimarum, ut Reges & uncti pro fide Christi ciuibus, diuinitus dotibus instructis, solium pro regia earum dignitate, Sunt denique VII. *ceremonialia*, quae ex sacris ritibus Hebraeorum, aliquando etiam profanarum gentium petuntur, ut circumcisio pro emendatione mentis, sacrificium pro religione Christianorum, prece, laude Dei, festi dies pro tempore noui testamenti, & similia plura: quae quia a FLACIO (a) dudum & GLASSIO (b) subnotione troporum & metaphorarum iam sunt excussa gnauiter, & ordinata, lubens nunc praetermitto. Cum enim ratum fixumque hoc sit, legem non solum disciplinam fuisse Iudaeis, sed & prophetiam, uti habet IRENAEVS, (c) statutaque adeo typos & symbola fuisse futurorum, ut IUSTINVS MARTYR (d) ait, non potuere alia rectius deligi, unde transfunderentur emblemata, sermonibusque infererentur Prophetarum, ipsiusque CHRISTI Matth. V. 23. Nihil hinc frequentius repetitum a nostratibus videas, quam quod notionibus

(a) *Clau. Script. part. II. tit. de metaphoris p. 256 ff. & tract. VI. titulo: Admonitio de necessitate cognitionis variarum rerum, potissimum in communi vita existentium, tum omnibus gentibus communium, tum Israelitis propriarum, ad intellectum sermonis sacrarum literarum, p. m. 426. ff.* (b) *Rhet. S. lib. V. tract. 1. c. 13. p. m. 1345. ff.* (c) *adu. haeres. IV. 28.* (d) *dial. cum Tryph. Jud.*



bus cerimoniarum veteris testamenti spirituales novi cultum adumbrari, obseruatum sit, quod & necessarium erat contra Pontificiorum inculcare corruptelas, cuncta ad externas suas crepundias trahentium. Jam cum isthaec emblemata sint inferiora omnia significatis, ad quae ducunt, mirum videri possit, quod retrogrado ordine & angeli ipseque daemon & magistratus nomine deorum, & viri Dei nomine saepius veniant angelorum, hicque adeo significata emblematis sint inferiora. Verum non emblemata haec, imo ne metaphorae quidem sunt omnino, licet sub his a GLASSIO (a) recensentur primo loco. Nam cum haec ab omnibus omnino rebus peti queant, in quibus vel ulla est similitudo, tum illa non nisi a sensibilibus transferuntur, ut intellectum afficiant per sensum, in quem sane Deus & angeli non incurrunt. Est autem & Dei & angeli nomen utrumque commune, quamuis ex genere eorum, quae talia dicuntur *προς εν*, ita ut illud quidem quemuis potestate pollentem in subiectos, hoc nuntium denotet vel legatum, proprieque designet, sed tamen Deus אלהים / & angelus מלאך κατ' εξοχην existat. Daemones autem & idola communicatione nominis tantum, ut est apud FLACIVM, (b) vel ex hominum opinione, qui se iis addicunt, ut est apud GLASSIVM (c) אלהים dicuntur, suntque reuera אלהים לוי Leu. XIX. 4. Ps. XCVII. 7. Es. X. 10. XIX. 3. Neque vero omnibus promiscue vocibus, etiam anthropopathiis, & quae praeterea a vilioribus ad digniora transferuntur, eiusmodi generalis tribuendus est significatus, quae olim sententia erat BOH-  
LII,

(a) l. c. c. X. p. m. 1201. ff. (b) tract. IV. p. 213. (c) l. c. c. X. p. 1203.





LII, (a) quasi exempli causa ꝑꝑ uniuerse adhabitationem, in Deo vero praesentiam, in animantibus oculum denotaret. Sed, uti dixi, ꝑꝑ proprie significat oculum, & cum ad prouidentiam Dei aut Spiritum S. adhibetur designandum, nouum est uocabulum, quod aliud praefert sono, aliud significat sensu. Atque tum, ut recte FLACVS (b) obseruat, multo illud fit significantius, quam antea, cum homini tribueretur, neque adeo, cum dicitur, eius oculos esse supra aliquem, nuda tantum scientia denotatur, sed iuncta cum uirtute, uiua ac praepotens beatio. Neque tamen BOHLIVS propterea Anthropomorphitis erat adiungendus, (c) ut a COTHMANNO aliisque factum legimus. Jam porro emblemata, ratione habitare rerum, per ea adumbratarum, tam varia sunt quoque, quam ipsae res, quas notant, cum a uisibilibus modo ad res ueteris, modo noui testamenti, ac in hoc modo ad Christum, eiusque munera ac fata, modo ad eius regnum, ciues, hostes, ipsamque adeo immutabilem nos perducant aeternitatem. Alia rem unam significant, ut oleum dotes Spiritus S. alia plures, nec solum similes, ut cum draco modo tyrannum modo daemonem, aut cognatas, ut cum lapis modo Christum, modo Christo adiectum, sed etiam contrarias, ut cum leo modo Deum significat, modo diabolum, prout scilicet quaeuis res plures uel pauciores alias proprietate quadam sua aut indole reprae-

(a) *Tract. de iis, quae Deo proprie, imo propriissime competunt p. 3. 20. 22. comm. in Es. XVII. in Pron. 1, 3.* (b) *Clau. part. II. tract. 4. p. 261.* (c) *Vid. Grap. Theol. controu. c. 1. q. 11. Evangelisches Rostock p. 454. f. Engelk. de antropopath. tm. 1. S. 12. p. 27. f.*

praesentat. Dantur & reciproca, quae habent singularem plane suauitatem, ut cum Deus vocatur sedes piorum ac templum, ac pii vicissim sedes ac templum Dei, cuius locutionis etiam sunt alii modi, aliaeque rationes, a FLACIO (a) ostensae. Denique si ipsam spectes emblematum formam, vel subiecto ea insunt aut substantiuo, ut cum dicitur, leonem de tribu Juda vicisse Apoc. V. 5. vel eius epitheto aut praedicato, ut: Christus est vitis Joh. XV. I. cor est lapideum aut carneum Ezech. XI. 19. tum etiam verbo, ut: Deus rugiet de Zione. Joel. III. 16. Am. I. 2. Et horum alia sunt unius formae, ut cum cedrus per metaphoram Regem denotat, aut ipsum Christum; alia vero sunt pluribus implicata formis, quae duplicatos, imo nonnunquam adeo triplicatos habent tropos, ut cum JOBS XIX. 21. eiulans dicit: manus Jehouae tetigit me. Nam ibi primum est anthropopathica metaphora, ab homine translata ad Deum; deinde manus per metonymiam pro effecto opere ponitur, nempe pro poena. Sic vice versa cum ESAIAS II. 4. dicit: e gladiis cudent vomeres, & falces ex spiculis, primum abolitio instrumentorum bellicorum per metonymiam pacem civilem promittit, deinde pax civilis porro per metaphoram pollicetur pacem spiritualem & sacram. Caeterum aliqua etiam emblemata euidencia sunt per se, aut per additam ex more Prophetarum explicationem, ut Es. LIII. 1. aliqua vero abstrusiora, quae paulo altioris sunt indaginis, ut in Cantico multa, & in prophetiis EZECHIELIS ac JOHANNIS, quibus Deus nostrae occurrere voluit fatietati.

§. 19. Neque vero sermone solum vaticinatos esse

I

Pro-

(a) l. c. p. 216. 259.



Prophetas, sed & visione & actibus, quos diuinitus instincti fecerunt, dudum monuit IRENAEVS, (a) interque caetera Prophetarum miracula hoc quoque non postremo loco GREGORIUS (b) habebat, quod sicut verbis res, ita nonnunquam verba rebus exposuerint, Quod enim praeter eorum voces claras & apertas etiam emblematicae significabant, ore prolatae, id ipsum saepius quoque denotabant, opere expressae, ut qui intelligit orationes Vatum, is nec difficulter percipiat actiones, cum & in ipsis emblemata occurrant. Sane lagena hominem aut ciuitatem, ira diuina quasi inebriatam, moxque destruendam, & in emblemate dicto significat Jer. XIII. 12. ff. & in facto XIX. 10. Istiusmodi autem actus non solum in veteri testamento reperiuntur, ab AHIA, ESAIA, JEREMIA, EZECHIELE, HOSEA, sed & in nouo, ab ipso imprimis CHRISTO crebrius patrati, qui non aequae ac illi vulgo aduertuntur, licet haut paulo maiorem mereantur considerationem, utpote quae statum figurantes noui testamenti, ad nos usque pertingunt, nosque spectant propius. Veteris namque testamenti Prophetae Iudaicae potissimum ecclesiae & rei publicae gentiumque finitimarum depinxere fata, ut cum AHIAS I. Reg. XI. 29. ff. nouum suum vestimentum in XII. diuisit partes, ex iisque Jeroboamo tribuit X. significaturus, Deum Salomoni erepturum esse regnum, duabus tantum tribubus relictis: cuiusmodi actus etiam LVTHERVS, (c) FLACIUS, (d) GLASSIUS, (e) BALDVINVS, (f)

alii

(a) IV. 37. conf. Flac. tract. I. p. 73. (b) Moral. XXV. 21. & in Ezech. hom. XI. (c) tom. III. Jen. Germ. f. 206. a. praef. in Hof. (d) l. c. p. 51. 73. (e) Philol. S. lib. I. tract. 1. sect. 1. p. 223. (f) Id. dispos. bibl. parte II. c. 11. p. 140. f.



alii obseruarunt. CHRISTVS autem etsi res quoque sui temporis fatumque imminens Mosaicae signauit oeconomiae, potissimum tamen futurum regni sui statum, actibus suis figurauit sapientissime. Matth. XXI. 19. Iudaicae interuersionem synagogae arefactione ficus, quasi in transcurso: sed ultimo in urbem Hierosolymitanam ingressu ibidem v. i. ff. totam regni sui futuram faciem distinctissime descripsit, ut ad hunc locum praeclare dudum LVTHERVS & BVCERVS ostenderunt. Loquor autem, non de actionibus eius omnibus, etiam naturalibus, (noui enim in excessu hic a DEVSINGIO (a) peccatum.) sed de prophetis, quas ut Propheta fecit, de factis extraordinariis, de miraculis, ut cum caecos, cum leprosos sanauit, mortuos excitauit. Haec omnia fuerunt, ut cum AVGVSTINO (b) loquar, quasi verba visibilia, factaque figurata, plus habentia in recessu, quam in fronte, breuiter: maiorum operum praemonstrationes Joh. V. 20. XIV. 10. 12. Qui quid caecitas, quid lepra, quid mors & mortuus indicet, nouit, is nullo negotio, quo illae actiones tendant, animaduertet. Ac ne quis omnes istiusmodi allegorias, ut Gal. IV. 24. a PAVLO vocantur, pro meris lusibus habeat ingeniorum, nec nisi ad ornatum aptis, discernendi cum SASCERIDE (c) sunt interpretes, qui vel diuinitus docti mentem Spiritus S. perspectam habent, vel non. Plura ipse LVTHERVS, (d) FLACIUS, (e) GLASSIUS, (f) FINCKIUS (g) dabunt.

§. 20. Cum itaque proprium fuerit Prophetarum,

I 2

NON

(a) in Allegoria Hist. Euang. prophetica. (b) serm. LXXIV. de temp. & quae. euang. l. 68. conf. Beda in Marc. XI. (c) orat. cit. in it. (d) in Postill. mai. dom. XVI. p. Trin. (e) tract. l. p. 80. (f) l. c. p. 320. (g) can. cent. III. can. 11. p. m. 16. 6



non aperta modo dictione diuina exprimere sensa, sed & ut IOH. CHRYSOSTOMVS(a) ait, figurato quodam velamine tegere & quasi obumbrare prophetiam, iam nullo negotio definiet quibus, an in eorum sermonibus a litera discedendum sit, nec ne? In iis quidem locis, ubi dogmata fidei tractantur, & morum, praecipue in propriis eorum sedibus, quibus maxime cautum voluere Theologi, item in historiis plane expositis non est a litera temere discedendum. In vaticinationibus contra, ubi fata rerum publicarum aut ecclesiae praedicuntur, literae non est temere inhaerendum. Nam etsi & in illis reperiuntur emblematicae locutiones, in his tamen sunt multo crebriores, ubi omnino oportet verba tropice interpretari, si mentem quidem Spiritus S. feliciter assequi velimus. Neque vero permittit Scriptura, ut penes nos esset autoritas accommodandi oracula, quibus vellemus, rebus aut personis, sed ipsa praeuertens se ipsam interpretata est, (ut de nouo idem CHRYSOSTOMVS(b) loquitur) & modo propria, modo emblematica decurrit oratione, modo ex utraque mixta. In euangeliiis prophetiis, qualia sunt Es. XI. LIII. in epistolis prophetiis, quales sunt apocalypticae illae Apoc. II. III. rariora sunt emblemata, illic, ut ne doctrina salutis sit obscura, hic, ut ratio seruetur literarum: at alibi tanto sunt eadem frequentiora, ut in Cantico. Ibi autem ante omnia cauendum monet AVGVSTINVS(c) & ANSHELMVS, (d) ne figurata locutio ad literam accipiatur, quibus suffragantur ecclesiae nostrae Theologi magno numero, eminentque in iis IOH. GERHARDVS,

(a) in Es. II. (b) in Es. V. (c) de D. G. III. 5. 10. (d) in 2. Cor. III.



DVS, cuius id propter *διακονεΐν* denuo publicatam dabi-  
mus legendam.

§. 21. Verus istiusmodi emblematum hic erat scopus,  
ut tanquam metaphoraē potentes, ceu a FLACIO (a) vo-  
cantur, suauitate sua allicerent primum animos, ac tum  
ubertate significandi instruerent plenius, resque sub sym-  
bolis memoriae fortius imprimerent. Neque enim tam  
propriae voces afficiunt aures, quam translatae a rebus  
sensui patentibus imagines ipsos quasi oculos perstringunt  
etiam cum ignotae linguae hominibus vel visu percipiuntur.  
Nec efficacius implicatae corporeis menti spiritua-  
lia inculcantur, quam cum proponuntur sub corporeis,  
quorum haec est dos plane singularis, quod quae alioqui  
non nisi longis verborum ambagibus circumscribuntur,  
ea uno quasi conspectu offerant contemplanda. *Quis igno-  
rat, (cum SCHNABELIO (b) denuo loquor,) Scriptura facem  
praelucente, coelum coelorumque exercitus, vi promissionis Abra-  
hamo datae regnum Dei, in ecclesia praecipue noui testamenti ex-  
pansum, pulchrosque gentium exercitus significare? lunam desig-  
nare politiam, modo nouam, modo plenam, crescentem, decrescen-  
tem, deficientem modo, modo redeuntem? Hic Sol Christi, qui lux  
mundi est, figuram gerit; stellae doctorum ecclesiae imagines sunt;  
ventus, spirans, ubi vult, liberam Spiritus S. virtutem adumbrat.  
Pluuia verbum est veritatis, recreans animam. Terra, semine verbi  
Dei consita, ecclesiae; mare gentium infrugiferarum; montes & colles  
regnorum & rerum publicarum; fontes & flumina ducum & exerci-  
tus; arbores eminentiorum; frutices hominum e vulgo emblemata  
sunt. Haec certe viuacissime docent, & talia, ut inquit FLA-  
CIVS, (a)*

I 3

CIVS, (a)

(a) *Traët. IV. p. m. 370.* (b) *orat. cit. p. 10.*



(a) Scriptura habet innumera, ubi indicata unica voce re-  
 quapiam, non aliter nobis magnam rerum sciendarum  
 copiam suppeditat, quam si data in manus scheda aut alio  
 libello diceret: ibi nos illa omnia plenius diligenter con-  
 siderando cognituros: quod si ullibi, in prophetiis certe  
 est verum. Neque enim Deus secundum Prou. XXV.  
 1. ideo celat verbum, etiam in ipsa lege, ne inquirat ho-  
 mo, quemadmodum ad hunc locum JARCHIVS(b) com-  
 mentatur, sed ut inquirat, rationesque parabolicae reli-  
 gionis pariter ac elocutionis & ad coelestia relationes con-  
 sideret. Neque Es. XXIII. 18. a doctoribus quoque abscon-  
 di vult arcana legis, ut cum vetustis Rabbiniis MAIMONI-  
 DES(c) explicat locum, sed de longe alio loquitur tegu-  
 mento. Pertinet hoc ad draschas Hebraeorum, quae iu-  
 dice ABENESRA(d) non omnes eiusdem sunt dignita-  
 tis, nec ubique ratae habentur: quemadmodum & Rabbi-  
 ni vulgo dicunt, quod non fit הלכה למשה מסיני אל  
 נסמכתה בעלמא/ constitutio MOSIS e Sinai, sed leuis dum-  
 taxat probatio. Et si vero opus Mercauah speciatim diffi-  
 cultate non caret, inque hoc laborandum est, ne homines  
 ἀσχηματοὶ detorqueant illud, non tamen ab inquisitione eius  
 arcendi sunt studiosi, aut intellectus praeccludendus. Mul-  
 to prudentius ABARBANEL(e) contra ciues suos indu-  
 striam hic commendat, exemplumque adducit ipsius  
 MAIMONIDIS, qui ipse illud studuerit explicare: lau-  
 demque adeo meretur GEORG. WEGELINVS,(f) &  
 ipse eundem explicare conatus currum, de quo gentile  
 eum.

(a) Tract. IV. tit. de breuitate & Laconismo Scripturae p. 374.  
 (b) in Bibl. Buxtorff. (c) praef. ad part. III. More Neu. p. m. 330.  
 f. (d) praef. rhytm. in leg. (e) praef. in Ezech. (f) diss. de  
 hoc curru praef. Seb. Schmid. Arg. 1670. hab. rec. Wisteb. 1682.



eum nomen & insigne admonuerat. Quod autem dicunt, a DAVIDE Regem Saulum caeterosque hostes sub imagine bestiarum, lauri deficientis, similiumque, ideo notatos, ut tacite vindictam ab iis sumeret, & quasi in sinu gauderet, cui sententiae & SVRENHVSIVS<sup>(a)</sup> calculum adiecit, id quomodo cum mansuetudine benevolentiaque erga inimicos, sanctis commendata, consistere possit, dubites. Sed cum hoc argumentum WINSTRVPIVS<sup>(b)</sup> & FECHTIVS<sup>(c)</sup> iam occupauerint, id tantum indignor, quod non Iudaei solum, teste autore libelli שמוש תהלו ex eoque HARDTIO,<sup>(d)</sup> sed & eorum exemplo Christiani psalmum in primis CIX. inter varias irreligiosas cerimonias in hostium suorum perniciem detorqueant: quo sane sanctissima illa Christi non tendit prophetia. Legantur, quae de ea nimis virulenta superstitione JOH. ANDR. SCHMIDIVS,<sup>(e)</sup> & de vera emblematum praestantia ac utilitate HERM. CHRISTOPH. ENGELKENIVS<sup>(f)</sup> latius differuere.

§. 22. Quem itaque accuratior emblematum peruestigatio habeat usum? si quaeras, fuisse dudum docuit MAIMONIDES. Nimirum intellectu facilia ea nobis reddet oracula MOSIS & Prophetarum, addo & effata CHRISTI, & scripta Euangelistarum ac Apostolorum, quae sine hoc adminiculo non possunt rite enucleari. Neque adeo verendum est, ne aberremus a mente Dei, quae si recte

ca-

(a) *praef. ad part. VI. leg. Mischn.* (b) *Pandect. tom. I. p. 938. ff.* (c) *diss. de prec. contra alios institutis. Rost. 1707.* (d) *in epist. ad J. A. Schmid. diss. de abusu Ps. CIX. p. 19 ff. inserta.* (e) *diss. cit. vom todbeten.* (f) *diss. de anthropopathiis sacris, an sint vestigia gentilismi? tm. II, S. 5. ff.* (g) *More Neu. part. II. s. 47. p. 326. ff.*





capiatur, limpidissimam fundit veritatem, sicut Ps. CXIX. 144. dicitur: aeterna est aequitas oraculorum tuorum, item Es. XLV. 19. ego Jehouah iusta loquens. Denique liberi per hanc cognitionem erimus ab imaginationibus rerum, quas non fecit Deus, indignisque de Deo ac Prophetis eius suspicionibus, & sententiis absurdis. Neque enim cum Judaeis & Pontificiis corporea quaeremus in regno Christi, neque humanam Deo formam & membra nostris similia tribuemus, cum Anthromorphitis literae affixi, quos miror eidem non & auis adscripsisse artus, quia DAVID. Ps. XVII. 8. sub umbra alarum eius cupit abscondi. Ecquis intelliget illud ZACHARIAE XI. 2. eiula abies, cecidit enim cedrus? nisi emblemata abietis, norit & cedri, recte a JARCHIO explicata, & a KIMCHIO ad Es. XIV. 8. Nam sane abies non potest eiulare aut gaudere, nec coelum, terra, frumentum, mustum, oleum, quod Hof. II. 21. s. dicitur, clamare, aut ingemiscere quaeuis creatura Rom. VIII. 22. nec temere in his statuenda statim cum AFFELMANNO (a) & aliis est prosopopoeia. Ut paucis dicam, ita est, ut scribit MAIMONIDES: clavis intelligentiae uniuersorum, quae Prophetae dixerunt, est intelligere parabolas, methaphoras, similitudines atque aenigmata. Plura volebam: sed quia *הריעה הזאת קטנה מהכלל או- והמצע קצר מהשזרע* / cortina praesens minor est, quam quae comprehendat ea, & stratum residuae pagellae nimis exiguum potius, quam ut redundet, ideo haec iam differre cogor in aliam occasionem.

DISSER-

(a) *Syntagm. part. I. p. 846.*



AN OMNIA PROPHETARVM  
ORACVLA SECVNDVM LITERAM  
SINT INTELLIGENDA?

P R A E F A T I O.

*Emblematum Biblicorum coelestis origo, indeque elucens divina sapientia, benignitas & humanissima demissio per omnes hominis status & ecclesiae oeconomias ostenditur. Notantur, qui ea crasse secundum literam intellexerunt, Judaei, Chiliastae, Anthropomorphae, Pontificii & communes Postillatores, & historia controuersiae Gerhardi cum Heilandae enarratur.*

**I**ncredibilis Dei Opt. Max. sapientia est ac bonitas, quod, ut maiori nos voluptate ad se alliceret, suumque de salute nostra decretum ac propensam voluntatem nobis patefaceret clarius, tam solícite signa adhibuerit, & figuras, nostrae paruitati consentaneas. (a) Cum enim magnus ille opifex rerum hunc, quem oculis usurpamus, mundum, secundum aeternum pacis consilium produxerit, terramque iusserit ex abyfso emergere, tanquam sedem hominibus futuram, quod non fecisset impiis & ingratis usque futuris, iam tum meditatus est regnum gloriae in coelo, in terra regnum gratiae erigere. Pf. XXIV. 1. 2. Hinc non solum opere creationis uniuersi, opus recreationis humanae per Christum adumbravit euidentissime, quod & AVGVSTINO (b) & WALTHERO (c) obseruatum, sed etiam res  
K ipfas

(a) Dionys. de Hierarch. l. & Damasc. de orthod. fide l. 14. (b) de Genesi ad lit. V. 8. IX. 12. (c) Offic. Bibl. p. m. 570. f.



ipsas naturales fulgidissimis clementiae suae notis insigniuit, ipsasque adeo mortalium actiones secreto ductu ita gubernauit, ut apta essent emblemata rerum, in theatro mundi gratiae gerendarum. Hoc itaque pacto natura gratiae subordinata est, rationesque occultas apparentibus formis, ut symbolis, exprimit, & Deus per manifestas imagines explicat absconditam veritatem, & magis magisque paulatim explanat. Quo minus mirum videri debere, censebat LV THERVS, (a) quod vna res in Scripturis respiciat semper alteram, eamque adumbret: **thun doch das/ inquit, alle andere dinge / die nicht in der Schrift genennet werden: sintemahl alle Gottes wercke und creaturen eitel lebendige zeichen und worte Gottes sind/ wie Augustinus sagt/ und alle lehrer.** Cum ergo perspicerent caeci homines, superiora omnia inferiorum similitudine delectari, insuperque optarent a superioribus bonitate impleri, quorum tum in primis contemplatione occupabantur, merito & ipsi conuenientem & Deo, ex cuius benigna virtute recentes exierant, & naturae, quam adeo congruentem gratiae sibi patefactae mirabantur, dicendi modum inde ab initio sunt sectati. Hic genius fuit Patriarcharum, haec indoles tum omnium ad orientem incolentium, tum maxime Hebraeorum: qui cum natura ad ardua assurgerent, & ea tamen assequi non possent, nisi inferiorum inuolucris inserta haberent, & quasi inclusa, ita se Deus eorum attemperauit natiuae propensionis, vt simul omnibus allucentem faceret veritatem. Notius enim est, quam vt ostendi a me denuo necessum sit, quam difficulter diuinas illas incorporeasque res intelligamus, mortali corpore circumdati, sensibusque ad-

fueti,

(a) rom. 1. Jen. Germ f. 430. b.



fueti, & rebus crassioribus, quae in illos incurrunt. Quare ubi se Deus suamque mentem aperire nobis volebat propius, fieri non poterat, quin a vilissimis quoque rebus, utpote nobis notissimis, symbola arcesseret, & ad praestantissima illa transferret nobis significanda. Stupeas hinc merito, quanta cum humilitate in Scriptura, ex quo a MOSE coepta est consignari, suam coniunxerit ineffabilem maiestatem, indulgentis instar patris, qui quasi balbutit cum liberis suis, iisque velut aliud agendo, sub acerbis rerum obuiarum imaginibus salutare instillat doctrinas: cuiusmodi exemplum *συγκαταβασις* conspici licet in epistola LVTHERI<sup>(a)</sup> ad filiolum Iohannem. Is ut exquisitissimis verbis modo blanditur, modo terret, modo rursus consolatur, ita Deus modo leniter admodum fatetur, modo tonante utitur voce, & graue sonante, modo delinit vicissim percussas mentes, & refocillat. Qui hoc efficiunt potentes tropi, animumque percellunt fortiter, & rem tanquam in tabula sub illustriori figura signatius depingunt, hos emblemata vocamus. Quorum rationem ac vim ut aestimare tanto rectius sciamus, GERHARDVM<sup>(b)</sup> imitati, comparabimus inuicem oracula diuina & effata humana, coelesti instinctu prolata, ex quibus contextus quidam emblematicus efflorescat hortationum, promissionum diuinarum, querelarum, precum humanarum, & ad eas responsum Dei plusquam paternarum. Redite, filii defectores, inquit JEHOVAH: & respondent, qui morem gerunt: ecce! nos venimus ad te, quod sis Jehouah Deus noster.

K 2

ster.

(a) tom. IX. opp. Witteb. p. 442. (b) im geistlichen Kleinod  
tract. II. § V. per totum.



fter. Jer. III. 22. Quiuis eorum cum DAVIDE: nihil est inquit, in corpore meo sani, tanta est tua seueritas; nihil in ipsis adeo ossibus meis est illaefum. Pf. XXXVIII. 4. Saeua tua, sic Deus, calamitas; cruciabile tuum est vulnus: quid conquereris de mortifero tuo dolore? ob tot tantaque scelera tua ista tibi feci. Jer. XXX. 12. 15. Num medicus non adest tibi? Jer. VIII. 22. Ego Jehouah is ero, qui tibi medebitur. Ex. XV. 26. Tu me itaque sana, Jehouah, & sanus ero. Jer. XVII. 13. Vt ego te afficiam, Ephraim? ut te dedam, Israel? Afficiam, ut Adamam? dedam, vt Zeboim? Sed versat se interius cor meum, simulque aestuant viscera mea poenitentia. Hof. XI. 8. Agnoscunt hoc ita pii: nisi Jehouah exercituum reliquias nobis reliquias fecisset, essemus ut Sodoma, similes Gomorrae. Es. I. 9. & puri capiunt, esse coram Domino. Ablue me multum a vitio meo, expia me hyssopo, & purus ero. Pf. LI. 4. 9. Agite, disceptemus, inquit JEHOVAH, etiamsi vel coccinea fuerint peccata vestra, fient albiora niue; si fuerint ostro similia, fient candidiora lana. Es. I. 18. Serua me, Deus! ascendunt aquae usque ad animam: demergor ego, inque tantas deuenio profunditates, ut inmundantibus iam obruar fluctibus. Pf. LIX. 2. f. Ne metue, inquit JEHOVAH: cum per aquam transis, ego tibi adsum, & per flumina, non te submergent. Es. XLIII. 1. f. Eluctatus hinc pius: quemadmodum inquit, cerua mugit, ad aquae riuos, sic mea anima ad te, Deus! Sinit mea anima Deum. Pf. XLII. 2. f. Heus! respondet Deus, quicumque sititis, venite ad aquam Es. LV. 1. haurite aquam vitae gratis. Apoc. XXII. 15. Pandit orcus suum spira-



spiraculum, & in immensum diducit fauces. Ef. V. 14. Redimam eos (ita fatur Deus) ab orci potestate, & a morte vindicabo. Vbi iam tua pestis, o mors? vbi, o orce, tua lues? E. Hof. XIII. 14. 1. Cor. XV. 54. f. Gratus hoc celebrat pius, sed, ne aberret a via salutis: doce me (ita rogat) Jehouah! viam tuam, ut in tua pergam veritate. Pf. LXXXVI. 11. Ad haec Deus nihil renuens: docebo vos, inquit, qua via fit eundum, ipso vobis oculo meo consulturus. Pf. XXXII. 8. Stipulatur sibi Deus fidem: esto fidelis ad mortem usque, addita promissione: & tibi dabo coronam vitae. Apoc. II. 10. Adsentitur per omnia PAVLVS: praeclarum illud certamen decertavi; cursum absolui; fidem seruaui. Iam mihi reposita est iustitiae corona. 2. Tim. IV. 7. f. Morte ingruente, quiritatur saepe pius: oblitus mei est Dominus Ef. XLIX. 14. Non inquit Deus: ecce enim, manibus te insculpsi Ef. XLIX. 16. Quousque ergo tuum mihi subtrahis vultum? Psalm. XIII. 2. Momentanea (ita DEUS) saeuitia tibi paulisper subtraxi vultum: sed sempiterna clementia tui miserebor. Ef. LIV. 8. Tibi itaque in manum commendo spiritum meum, qui me vindicas, Jehouah, DEVS fidelis! Pf. XXXI. 6. quae inter verba ipse CHRISTVS Luc. XXIII. 46. eiusque imitatores pii, STEPHANVS Act. VII. 59. & alii, noster quoque diuus LVTHERVS (a) placide exspirauit. Quid, quaeso, confidentius ab homine, quid a DEO dici aut cogitari poterat humilius, quid benignius? Magis miraberis, si etiam, cum minatur, sub imaginibus rerum terribilissimarum, urfi, leonis rugientis, ignis consu-

K 3

mentis

(a) tom. VIII, Jen. Germ. f. 386.



mentis summi amoris edere cogites documenta, quippe qui isto indignantis simulque miserentis animi feruore, hominem ex auis instituit reuocare in viam. Quis Jehouae, Deo nostro tam clementi, conferendus est, qui tam alte habitans, respicit tam demisse, Pf. CXIII. 5. s. tamque prouide curam gerit degenerum filiorum? Quibus ut agnosceretur, in summa humilitate summam constituit sublimitatem styli & magnificentiam, dum & suo exuberanti affectu & argumentorum diuinitate, & ad haec caecitate mortalium perpulsus, non emblemata solum ipse adinuenit, sed & inuenta ab hominibus retinuit, & suo accommodauit instituto. Quae etsi ad *nos* vulgo referuntur sermonum, re vera tamen, deterunt multum de coelestium ampla dignitate, a vilioribus quippe desumpta, ut modo vel sic coelestia intelligantur. O quam huic suauiter iam inde a condito orbe ludebat cum hominibus, quam ipsi volupe erat esse cum Patriarchis, Prou. VIII. 31. quam ipsos blande affabatur: ne timetote, clypeus sum vester, \* & praemium abunde magnum. Vestram stirpem augebo instar stellarum, & arenarum litoris marini, efficiamque, ut hostium suorum portis potiatur, omnesque in ea gentes sese beatas ferant. Quam se humaniter ad captum demittebat adsuutorum emblematis Hebraeorum, inde ab aeuo Mosis humano usus stylo Es. VIII. 1. quem

\* *Amplectitur hoc emblemata David Ps. V. 13. ac, ne inopia verborum laborasse suspiceris, tot ac tam varia addit alia, idem praesidium ac in eo fiduciam significantia, ut vel hoc solo exemplo profana refellatur Clerici opinio diff. I. Pentat. praemissa §. 6. contra quam vid. Berger. diff. de literaturae Hebraeae copia ac ubertate.*

quem dum inuerecunda plane audacia HVETIVS (a) nescio quo inflexit, nec sanctitatem satis recogitavit, nec modestiam diuinarum literarum, digne idpropter a WITSIO, (b) LOESCHERO, (c) ENGELKENIO (d) exceptus. Vincit tuos, inquit, per sanguinem tui foederis ex fouea emittam, in qua non est aqua, lautissimumque apparabo conuiuium. Veniet Messias, commotoque coelo & terra, exstruet templum, acceptumque Jehouae erit fertum Iudaeorum atque Hierosolymitanorum, sicut temporibus antiquis. Cum vero lasciuerent subinde ferocius, quam sapienter ipso iis iugo adumbrabat liberationem, quam varie eandem depingebat per Prophetas, quam interim potenter cor ferreum eorum, lapideum, adamantinum increpabat, illudque se mutaturum in carneum pollicebatur! Demum cum accederet ipse tamdiu expectatus hominum Seruator, quam is cupide aperiebat os suum in parabolas Pf. LXXVIII. 2. ut ad quaerenda mysteria prouocaret ciues Hebraeos, quam gnauiter Legati eius omnibus laborabant omnia esse, Iudaeis Iudaei, exlegibus exleges, infirmis infirmi, ut omnino aliquos lucrifacerent ex singulis 1. Cor. IX. 19. ff. Hierosolyma, templum, sacrificia, agri Chananaeae terrae ac vineae, coenae nuptiales ac fercula nota erant Iudaeis tum ex monumentis Vatum, tum ex quotidiano usu & adpectu: hinc CHRISTVS promebat figuras. PAVLVS Romanis forensia, Grae-

(a) *demonstrat. euang. prop. VII §. 15. p. m. 595.* (b) *Miscell. sacr. vol. I. lib. I. c. 13. p. m. 98.* (c) *de caus. lingu. Hebr. III. 4. §. 6. p. 465.* (d) *diss. II. de pleonasm. Script. class. 2. §. 17. p. 70. & de anthropopath. tm. II. §. 6. p. 50.*





Graecis gymnica, Hebraeis ipse quoque sacra veteris testamenti instituta proponebat, quorum sub imagine res Christi inculcaret. Viros constat nil magis dedecere, quam si a virtute deficient, cui nomen dederunt: eo PAVLVS respiciens, sic ad Timotheum scribit: ενδυναμου, fortis esto in gratia per Christum 2. Tim. II. 1. nec ei, nisi νομιμως certanti, pollicetur coronam v. 5. Foeminas & adolescentes scimus vestium luxu suam prodere solere vanitatem: eo PETRVS respiciens, illis vester, inquit, κοσμος, mundus muliebris sit mentis occultus homo, cum mitis & placidi animi sinceritate 1. ep. III. 3. his vero: ευκομβωσασθε, induimini potius modestiam ac submissionem vobis dignam 1. ep. V. 5. Ut paucis dicam, pleni emblematicis sunt omnes libri, plenae sanctorum Prophetarum orationes, plena utriusque testamenti monumenta. Nihil in sacris literis, iudice JOH. CHRYSOSTOMO, (a) est superuacuum, ut illi putant, qui in parabolis CHRISTI emblemata statuunt otiosa. Omnia, ut recte HIERONYMVS (b) docet, omnia inquam effata, & verba tum aperta, tum maxime emblematica sensibus sunt referta. Quid vel sub solo emblemate palmitum Joh. XV. 1. ff. lateat largissimae sapientiae, monstravit LVTHERVS. (c) Eam si ex caeteris quoque, tanquam ex corticibus, nucleos, colligere cupimus, nemo non videt, ante omnia tenendam esse regulam sapientum ad orientem: dimitte voces, accipe sensus. (d) Qui etsi a variis erui e vocibus solent

(a) de verbis *Es. Vidi Dominum*, homil. II. (b) in *Eph. III.* (c) *tom. VII Jen. Germ. f. 133. ff.* (d) *Jamblich, de myster. tit. de symbolis Aegyptiae Theologiae.*

solent varii, prouti quivis aliter similitudinem aut nexum spectat figurae & figurati, neutiquam tamen propterea emblemata censenda sunt quidvis de rebus fidei sentiendi licentiam indulgere, atque adeo indifferentissimo, quem vocant, aperire fenestras, quo nuper tendere nonnemo (a) videbatur. Neque enim omnia fidei mysteria per *συγκαταβασι* quandam, & *ανθρωποπαθως* proponuntur, vt cum Deus omnium hominum salutem dicitur appetere, pro iisque propterea Filium tradidisse in mortem, & quae sunt his similia. Neque, ubi re vera est *συγκαταβασις* & *ανθρωποπαθεια* diuina, seu emblemata, alius quaerendus est nexus, aut alius sensus, quam qui menti ac instituto conuenit Prophetarum: extra hoc quaecunque aut cogitantur aut dicuntur, humana sunt commenta. Sed longe enormior est error eorum, qui ne adscendere quidem ultra literam, aut imaginem ea propositam volunt, quod dudum in Judaeis ipse MAIMONIDES (b) reprehendit. Et mireris sane haut immerito, quod qui ita dediti parabolis, ita emblematicis adfueti, in iisque enucleandis tam exercitati olim fuerant & culti, non solum in cortice haeserint legum Moisaicarum, sed nec spiritualem orationum prophetarum rite euoluerint sensum. O quanto sapientior veterum erat cabbala, de qua PHILO (c) legi potest & VITRINGA! (d) quanto saniores veterum interpretationes Hebraeorum, qui mysticas res Christi & quaerebant in prophetiis, & inueniebant quoque feliciter. Postea vero,

L quam

(a) *autor der Ungarischen und Sebenmischen unruhe p. 57. conf. unschuld. nachr. an. 1704. p. 432.* (b) *in More Neboch. passim.* (c) *Conf. Pok. Porta Mosis.* (d) *libro de Therapeutis.* (d) *Observat. sac. l. 4.*



quam ingruerant tenebrae Pharisaeorum, Christusque humili illa ac abiecta praeditus forma, accesserat, velamen Mosis obductum est mentibus ipsorum, quo minus claritatem Jesu, eiusque regni peruiderent: quo de argumento digni sunt, qui legantur, LV THERVS (a) & FLACIVS in clauē. (b) Hinc eorum argumenta, quibus dum nostrum adhuc reiiciunt Seruatorem, suam perdunt salutem: nondum impleta esse, quae temporibus Messiae futura praedixerint Prophetae: lupum cum agno, pardum accubiturum cum haedo Es. XI. 6. montem Dei supra omnes alios montes collesque surrecturum, eoque & gentes sacrorum causa conflururas Es. II. 2. f. Quae tamen pariter, ac caetera huiusce modi omnia sunt emblematicae dicta, aliud sonantia, aliud vero intelligendum menti exhibentia, quemadmodum genio conueniebat ac indoli Hebraeorum. Nolim iam eorum de conuiuio sententiam, tempore Messiae apparando, excutere sollicitius, & num proprietate futurum credant, an sub hac figura gaudium adumbrent futurae vitae? ampliter disputare, qua de re vel HACSPANIVS (c) potest consuli. Id autem tacere non possum, multo iis abiectiores quondam Cerinthianos, Nepotianos, Apollinaristas, tum Muhammedanos, Anabaptistas & crassos illos Chiliaftas videri: qui iudice TRIBBECHOVIO (d) nostro, in illum errorem de terreno Christi regno eiusque futuris voluptatibus corporeis non incidissent, nisi inuolutas emblematicis promissiones contra prophetici rationes styli secundum literam intellexissent.

(a) *lib. von dem Juden und ihren Lügen & praef. in Ezech.* (b) *part. II. tract. 6. tit. de velamine Mosis p. m. 447. ff.* (c) *de scriptor. Jud. in Theol. usu p. 353. f.* (d) *Hist. Cbil. c. V. sect. 2.*



lexissent. Eodem quoque morbo post veteres Ebionaeos & Messalianos Audaeani quondam laborabant, quippe qui & ipsi literae affixi Epicuream reuocabant sententiam, Deumque mutabant in hominem, huius illi corpus artusque assignantes: unde & Anthropomorphitarum nomine sunt notati. EPIPHANIVS (a) hoc eorum *απλοτητα* adscribit, quod & AVGVSTINVS (b) aeque absolum docet esse, ac si quis existimaret, Deum habere membra auis, quia ei Scripturae litera tribuit alas, Pl. XVII. 8. quas non utique nos habemus. Nemo sane adeo hospes esse potest in Scriptura, quin, si vel granum habeat salis, statim animaduertat, eam, cum Dei memorat oculos, aures, pedes ac similia, loqui כלשון בני אדם ut vocat R. SALOMON BEN MELECH, (c) vel, ut inter Christianos FVLGENTIVS (d) ait, coelestia eloquia intellectui coaptare paruulorum. Neque tamen obstitit haec simplicitas, quominus ea haereticis saeculo X. in Italia & Paraffi repullularet, teste BERGOMENSE, (e) ac denuo resuscitaretur saeculo XII. a Bogomilis. Quos etsi ab ista imputatione absolueri conati sunt FRID. SPANHEMIVS & GOTHOFR. ARNOLDVS, eos tamen fidem historicam violare, doctissimus nuper vir, IOH. CHRISTOPH. WOLFI-VS, (f) ostendit, autoritate potissimum nixus EVTHYMII ZIGABENI. Quod autem ipsi quoque LVTHERO nostro hanc dicam scribere sustinuerit FORERVS,

L 2

(a) ma-

(a) haer. LXX. (b) ep. III. ad Paulinam. (c) in Michlal Jophè f. 3 col. 3. (d) l. II. contr. Trasm. c. 10. (e) ad an. 951. (f) in histor. Bogomilor. diss. II. §. 6. p. 55. ff.



(a) manifesta fane erat impudentia, a D. NICOLAO (b) & ENGELKENIO (c) ex aequo castigata: cuius quoque frater (d) non contemnendum in historia Anthropomorphitarum colligenda impendit laborem. Haut paulo maiori temeritate ipsum adeo MOSEN non, SPINOZA (e) solum (id enim minus mireris) sed CLERICVS (f) quoque eorundem ausus est facere patronum, cui HERM. WITSIVS (g) iam respondit. Quid de Romanensibus nunc dicam, qui uti Christo \* & Petro, eiusque (ut opinantur) successori, Pontifici, tribuunt temporalem potestatem, ita non solum umbratiles Mosaicae legis ritus intempestiue imitantur, cum eorum iam uenerit corpus, Christus, iam non nisi spirituale gerens regnum: sed & emblemata sermonum prophetorum ad sua sacrificia, vestitus, suffitus & reliqua ineptissime trahunt. Varietatem sponsae Ps. XLV. 10. ad ceremonias ipsorum; poculum salutis Ps. CXVI. 13. ad calicem missae; aquam illam ex templo profluentem EZECHIELIS Ezech. XLVII. 1. ff. ad aquam lustralem ineptissime ab iis videas relatam: cuiusmodi vagae allegoriae ab ORIGENE potissimum in ecclesiam sunt inuectae, ac postea magis deprauatae. Legat caetera istis similia ab  
im-

(a) in *Symb. Luther* in. p. 10. & in *Manual. part. I. c. 4.* (b) in *Symb. Luth. vindicato sect. I. c. 8* (c) *disp. ad art. 1. A. C. de Deo sect. I. p. 9.* (d) *diff. de anthropopath. tm. I. §. 8. ff.* (e) *Tract. Theol. polit. c. 2. p. 26.* (f) in *iudiciis Theol. Batauor. de historia critica R. Simonis.* (g) *Miscell. sacr. I. 7. §. 20.* \* *Non defuisse, qui Christo, etiam in terris adhuc uiuenti, temporale adscripserint regnum, autor est M. Ant. de Dominis de rep. eccl. VI. 1. n. 13. Eminuit in iis Paul. Comitulus libello cont. 7. Theol. Venet. contrarium sentiente Bellarmino de Rom. Pont. V. 4.*



immortali MARTINORVM biga, LVTHERO (a) & CHEMNITIO, (b) tum & a KOENIGIO, HELVICO, PRVCKNERO in vindiciis, iam tum satis explosa, qui volet: piget enim hisce nugis immorari, quae dum narrantur, confutantur. Optandum autem esset, ut non in ipsa quoque ecclesia nostra subinde reperirentur, qui recentium more Iudaeorum intellectum subiiciunt corpori, dum Prophetarum interpretantur monumenta, nec intelligunt *φρασιν*. Sed secus euenisse, vel sola communium Postillatorum turba esse potest documento, quorum in interpretationibus prophetis *Ψευδερμηνείας* inde ab aevo LVTHERI summi Theologi, FRANZIVS, WALTHERVS, TARNOVIVS, VARENIVS, AFFELMANNVS, DANNHAVERVS, SCHMIDIVS, LOESCHERVS & alii ad hunc usque diem masculule impugnarunt. Expositionem obscurati solis & lunae casusque stellarum Matth. XXIV. 29. Marc. XIII. 24. Luc. XXI. 25. de naturalibus iudicii extremi signis, BRENTIVS (c) accensebat nugis, gnarus quippe, emblema id esse defectus ecclesiarum ac rerum publicarum, quod ex Iudaeis MAIMONIDES, (d) e nostris FLACIVS, (e) BVCERVS, (f) GERHARDVS, (g) CALIXTVS, (h) CALOVIVS, (i) OSIANDER, (k) pridem omnes notarunt. Recte nuper quoque NEVMANNVS: (l) idiotismus propheticus est, inquit, e-

L 3

uersio-

(a) tom. IV. Jen. Germ. f. 198. a. II. f. 506. b. & praef. in Ezech. (b) in Ex. conc. Trid. passim. (c) Comm. in Matth. XXIV. 29. p. 412. (d) More Neboch. part. II. 29. (e) Clau. Script. part. I. voce sol col. 1536. (f) Enarr. in Matth. XXIV. p. 466. (g) Contin. Harm. euang. p. 735. ff. (h) proem. in Proph. (i) Bibl. illustr. p. 420. (k) coll. Theol. syst. p. II. p. 127. (l) in coll. Herm. MS.



uersiones regnorum per obscurationem solis, lunae & stellarum describere, ad indicandam poenae atrocitatem. Quis credat ab hoc idiotismo recessisse CHRISTVM, cum ad Iudaeos loqueretur, quos eum non aliter capere norat, quam edocti erant ex stylo veterum Prophetarum. Mitto nunc, quae de signo Filii hominis, tanquam & ipso naturali, circumferuntur opiniones, a GERHARDO (a) & PFEIFFERO (b) gnauiter collectas, & caetera, de quibus peculiari a me actum est diatriba, & mox agetur denuo. Singularem plane opinionem, hauptam a Iudaeis recenset GERHARDVS, ac refellit in ea dissertatione, quam nunc denuo protrahimus in lucem. Ediderat iuris consultus quidam sub nomine M. GOTLIBII HEILANDI, vel *αγαπησάντος τὴν ἐπιφάνειαν κυρίου*, Gerae aliquot libellos, nominatim *Examen chronologicum, examinis huius partem secundam, seu resolutionem Apocalypses & capitum quorundam EZECHIELIS & DANIELIS, Cantici canticorum expositionem historicam, verosimilia historico-Prophetica, expositionem historico-literalem, coronidem, depulsiorem*. In his cum quaedam a communi Theologorum nostrorum sententia paulo longius abeuntia reperirentur, subueriti antistites Gerani, ne ipsorum ecclesiae ab Augustana confessione secessionem fecisse viderentur, quasdam ex iis de certis capitibus collectas quaestiones Heilando exhibuere, ut suam de iis sententiam clarius exponeret, oraculisque Scripturae & rationibus firmaret uberius. Obsecutus vir doctus, primum *declarationem quandam verosimilium Prophetico-historicorum*, cum annexa *repetitione hypomnesium correctiore*, postea vero etiam *resolutionem quaestionum* ipsis obtulit, in quibus hoc

(a) l. c. p. 742. ff, (b) *diff. de signo Filii hom, Regiom. 1682.*



posuerat pro certo, omnes Prophetarum vaticinationes etiam secundum literam esse intelligendas. Tum vero Gerani, quid de utroque hoc scripto statuendum esset, a IOH. GERHARDO sibi significari, per literas flagitabant, nec ipse vir doctus se repugnare, per epistolam ei confirmabat. Respondit is utriusque partis desiderio, conscripta *consideratione declarationis & resolutionis*, quam filius eius, IOH. ERNEST. GERHARDVS, anno demum superioris saeculi LXVII. sub titulo *Tractatus Theologici, in quo praecipua Chiliafmi fundamenta solide destruuntur*, & de futuris aliis differitur, luci dedit. Ex eius iam capite II. (a) controuersiam principalem, a cuius definitione tota reliqua disputatio pendet, ideo maxime decerpendam, publicaeque disquisitioni denuo iudicauit subiiciendam esse, quia nullibi fere plenius ordinatius ac magis perspicue exsolutam memini quaestionem: an prophetiae omnes secundum literam sint interpretandae? cuius affirmationem GERHARDVS caput ac fontem docebat esse erronearum doctrinarum. Praemitemus autem rerum rationumque breuem summam, ac secundum eam contextum auctoris certis positionum numeris distinguemus, nonnullis subinde adnotationibus separatim adspersis. De caetero nil quidquam immutabimus, nefas esse rati, aliorum labores addendo, demendo, aut alio modo transformare.

(a) de assertionibus heterodoxis & erroneis, p. 16. ff.

SVMMA CAPITA.

§. 1. Sententia Heilandi generatim innuitur. §. 2. Quatenus ea vera videatur? §. 3. quatenus recedat a veritate? §. 4. Distin-  
ctio





*Eté repetitur, & exemplo illustratur. §. 5. Negatur eadem, oppositis Hunni verbis. §. 6. Ambiguitates tolluntur locutionum 1. omnes prophetias secundum literam esse intelligendas; 2. sensum mysticum prae-  
supponere literalem; 3. omnes prophetias praeter sensum mysticum habere etiam historico literalem. §. 7. Quod non possit tradi istiusmodi regula generalis, probatur, & subsidia indicantur sensuum dignoscendorum. §. 8. Rationes, cur non omnia apud Prophetas secundum literam intelligenda, I. a prophetico more loquendi, qui regulis declaratur: 1. Prophetæ delectantur tropis, quorum κριτικα suppeditantur. §. 9. 2. Prophetæ verbis V. T. exprimunt res N. T. quod tum de officiis, tum de beneficiis eius demonstratur. §. 10. II. ab ipsarum prophetiarum accurata consideratione. §. 11. III. ab Apostolica earundem expositione. §. 12. IV. ab absurditate contrarii. §. 13. Praecautiones ipsorum Prophetarum, ne emblemata temere secundum literam intelligentur. §. 14. V. a tacita ipsius Heilandi confessione. §. 15. Contraria Heilandi argumenta 1. ab autoritate Hutteri. §. 16. 2. ab exemplis, quod etiam minutissima quaedam in N. T. secundum literam sint impleta. §. 17. 3. a regula Theologorum, quae in promissionibus futurorum magis inhaerendum dicitur sensui literali, quam in historicis & ceremoniis. §. 18. 4. a consuetudine Spiritus S. sub temporalibus bonis, ut typis, anagogice simul & aeterna longe praecellentiora pollicentis. §. 19. Concluditur hinc, regulam auctoris non posse esse generalem, adeoque reiiciendam esse.*

## IPSA GERHARDI DISSERTATIO.

§. I.



**I**ronearum assertionum, quæ in auctoris scriptis reperiuntur, omnium, vel certe plerarumque origo & fons est theorema illud, quod omnia Prophetarum vaticinia iuxta literam & verbaliter sint intelligi-

telligenda, (a) uti totidem verbis asserit Autor in Resolution. p. 28.

§. 2. Sane primo intuitu videri poterat, assertionem illam ad bonum & orthodoxum sensum reuocari posse. Nam in eadem Resolutione pag. 27. Autor affirmat, *sensum literalem non esse tantum illum, quem ipsa verborum proprietates immediate prae se fert, sed etiam illum, qui ex verbis siue sententiis tropicis ac figuris resultat.* Ac pag. praeced. 18. *sensum literalem vocat eum, quem ipsa rei gestae & gerendae narratio ac series verborum sub communi & usitata vocum siue propria siue metaphorica, aut, ut latius dicatur, tropica significatione ipsa litera repraesentat.* Quin & pag. 19. distinguit inter allegoriam verbalem siue rhetoricam, quae sensum literalem gignit, (nota) & inter allegoriam mysticam seu typicam, per quam sensus literalis ad alia probanda vel illustranda

M

accom-

(a) Eundem tot errorum & fabularum fontem totidem fere verbis Schickardus Beckin. Happerusch. disp. VI. p. 116. s. notat in *Judaeis*, qui sibi hanc finxerunt regulam: *אין מקרא יוצא מידו פשוט / nullus textus elabitur manus suae nuditatis, hoc est, etiamsi allegorice aliud significet, nunquam tamen literalis sensus plane tollitur, a qua sententia miror ipsum Abenesram non fuisse alienum.* Hinc figuratissimas quoque Prophetarum locutiones *κατα το εντρον* intelligant multi, false id propter ab ipso Maimonide apud Pokock. & in More Neboch. perstricti. Es. VII. 20. non quidem negant, mysticum subesse sensum, sed tamen, ne literalem prorsus otiosum admittant, Deum introducunt ut barbitonsorem, qui Regi Assyriae caesariem abradendo, docnerit, quomodo subiugatos a se populos deberet tractare. Fabula existat in Talm. tr. Sanhedrin cap. Kol-Israel. Et quia hanc tam vilem operam Deo tribuere indignum poterat videri, excusant huius narrationis absurditatem ipsimet p. 59. Dicit R. Afhu: nisi textus scripsisset, non possibile fuisset illud dicere. Simile exemplum in Es. XXI. 2. *et Talm. i. c. p. 108. b. affert Schickardus.*



accommodatur. Pag. ead. adducit & approbat definitiones D. MEISNERI: (a) *Literalis sensus, qui cuiusque loci unicuique tantum est, is est, quem intendit proxime Spiritus Sanctus, & ex verbis, siue propria sint siue figurata, recte eruitur.* Mysticus sensus quorundam Scripturae locorum est, qui non veris Scripturae proxime significatur, sed in rebus ipsis, per verba sensu literaliter denotatis, a Spiritu Sancto Scripturae autore intenditur, & alio refertur, quam ad id, quod verba immediate significant.

§. 3. Haec omnia sunt sana & orthodoxa, ac si iuxta ductum harum definitionum vaticinia prophetica in sensu literaliter, siue propriis siue figuratis verbis expresso, accipienda esse diceretur, nemo orthodoxorum repugnaret. Sed si scopum & mentem auctoris respiciamus, manifestum euadet, ipsum hac assertione, quod omnia Prophetarum vaticinia iuxta literam & verbaliter sint intelligenda, longe aliud sibi velle. Statuit enim, *Judaeos paulo ante mundi finem esse in terram Canaan reducendos.* (b) id quod probare conatur oraculis prophetis, quae

(a) *Vid. Meisn. coll. de Script. S. diss. XXXVIII. §. 19. s.*  
 (b) *Et haec sententia, a Gerardo postea p. 39. ff. impugnata, Judaica est, a nemine acrius, quam ab Abarbanele in libro עינים נשועי defensa, quippe in quo salutem praedicat Judaeis, una cum aedificatione templi Hierosolymitani. Qui eum superiori anno Latine versum dedit, Joh. Henr. Maius, ff. observationes promisit ad eundem, in quibus non omissurus sit, quae ad eius visa fuerint confutationem pertinere. A Judaeis ad Christianos peruenit opinio, & per Cerinthianos, Ebionaeos, Apollinaristas propagata, multis inter Pontificios, Reformatos & Fanaticos placuit, nominatim auctori clangoris buccinae propheticae, cui se Georg. Rostius opposuit im Heldenbuch vom Rosen Garten c. V. q. 7. Post & recentioribus nonnullis nostratum arrisit, qui cum Heilando ex Jer. XXXI, 38. ff. similibusque locis, a Gerhar-*



quae reductionem illam in terram Canaan Judaeis promittere videntur. Quando ad oracula illa prophetica respondemus, iuxta infallibilem Apostolorum in N. T. explicationem, accipienda ea esse figurate, allegorice ac spiritualiter, de gentium & Judaeorum in unum populum congregatione, ac medii parietis maceriae, utrosque olim in V. T. distinguentis, ablatione Act. XV. 15. ff. Eph. II. 14. de Judaeorum ad Christum conuersione, ac vocatione ad regnum gratiae per euangelii praedicationem Rom. XI. 25. ff. 2. Cor. III. 14. ff. Hebr. VIII. 8. ff. X. 15. ff. eorundemque in coelestem Hierosolymam (a) introductione Hebr.

M 2

XII.

po p. 74. ff. *consideratis, probatum eunt, Judaeos, ubi post intromissam gentium plenitudinem ad Christum fuerint conuersi, terram patriam habitaturos, sine tamen veteri cultu & templo, quod Ezech. XL. ff. non nisi mysticum esse, pertenderat dudum Lutherus praef. in Ezech. Vid. de eo Hafenrefferus integro opere. Adolph. Heltius contra, sacerdos quondam Stadenfis, Heilandiana methodo admittit quidem allegoriam, sed & verum templum ultimo mundi tempore Hof. III. 5. f. extruendum tuetur in explic. vernac. c. XL. Ezech. p. 7. Quae nouissime de hoc templo dissertatione peculiari, Harderouici edita, & Lipsiae nuper recusa, erudite commentatus est Joh. Meyerus, nota sunt. Heilandus autem, etsi reductionem Judaeorum asserit in Chananaeam, negat tamen antiquae politiae & cultus restitutionem, in quo ipso quoque ei non adsentiendum, statuit Gerhardus.*

(a) *Per hanc ecclesia Christi intelligitur, tum militans in terra, in qua praedicatur euangelium pacis, tum triumphans in coelis, in qua est sempiterna securitas: est enim una coram Deo ecclesia. Vid. ipse Gerhard. comm. in Hebr. & Apoc. l. c. quem recentiores quidem de tranquilliori ecclesiae statu ultimis temporibus docent exponendum: sed multas tamen locutiones felicitatem hic incipiendam, illic vero perfectissimo demum gradu consummandam designare, non negant. Vid. e. c. Durerus im geheimniß des reichs Christi p. 739. f.*



XII. 22. Apoc. XXI. & XXII. regerit Autor, allegoricum ac mysticum hunc sensum praerequirere ac praesupponere literalem, ac proinde utrumque Israelitis in hisce oraculis propheticis promitti, verbi gratia reductionem in terram Canaan, in sensu literali expressam, & vocationem ad spirituale Christi regnum, ac translationem in coelestem Hierosolymam, in sensu mystico & allegorico significatam. Sic enim scribit in Resolut. p. 21. *Illud praecipue hoc loco pro certo assero, interpretationes eiusmodi antitypicas, tropologicas, analogicas sensum literalem siue historicum sacrorum vaticiniorum minime tollere, sed supponere ac illustrare & ampliare, neque licere ideo sensum literalem oraculorum V. T. penitus negare, quod mysticam aliam interpretationem superaddat N. T. sed sensum illum utrumque pariter retinendum. Pag. 29. Diligenter aduertendum est, ut inter significationem tropicam singulorum verborum vel sententiarum, quae sensum literalem gignit, & inter explicationem mysticam, quae loci alicuius usum spiritualem summam duntaxat indicat, sensumque literalem siue historicum singulorum verborum siue sententiarum necessario supponit, recte ac rite distinguamus, in quo cardinem totius disquisitionis suae verti, ibidem subiungit. Id ipsum postea pag. 39. ad institutum suum sic explicat. Quaeritur, inquit, cum eadem fere omnia vaticinia, quae Israelis conuersionem in diebus nouissimis praenunciant, pariter & sic conuersis reductionem in terram, quam possederunt patres eorum, Palaestinam, clare promittant, num promissiones eiusmodi literaliter tantum, an tantum anagogice seu mystice, an vero utroque pariter modo accipienda veniant? Et hoc, inquit, est verum illud ac fere unicum *κρίσιον*, quo de inter nos disquisitio est, quodque iam secundum canones*

D. HVT-



D. HVTTERI *resoluumdum venit.* Respondeo itaque ductu eorum atque dictamine, quod illa tum literaliter accipienda de reditu ipsorum in terram Canaan mox a conuersione sua, tum anagogice de haereditanda etiam post diem nouissimum coelesti Canaan, ipsa scilicet vita aeterna, quam pariter una cum repromissionis terra & velut sub typo eius ac figura anagogice intellexerunt, sperarunt & expectarunt Patriarchae. (a)

§. 4. Sententia ergo Autoris haec est, quod quemadmodum historiae V. T. ab Apostolis in N. T. mystico & allegorico sensu expositae, saluum & intactum relinquunt sensum literalem, verbis propriis in V. T. expressum, ita quoque oracula prophetica mystice & allegorice ab iisdem Apostolis in N. T. exposita, nihilo tamen minus omnia atque singula in sensu literali sint accipienda, ac de utroque beneficio tum corporali, tum spiritali exaudienda. Verbi causa, quando Apostolus. Gal. IV. 22. historiam de duabus Abrahae uxoribus, Sara & Agar, allegorice de duobus testamentis exponit, tum illa mystica & allegorica explicatio saluum relinquit, imo & praesupponit sensum literalem & historicum, quod Abraham re vera habuerit duas uxores, Saram & Agar.

M 3

Pari

(a) Eadem fere opinione erat autor clangoris buccinae propheticae, Paulus Felgenhauerus in *Zeit-Spiegel* / & similis farinae alii, in eo falsi, quod plures oraculis attribuunt sensus, & diuersa rerum genera confundunt, qualia sunt terrena & coelestia, incertasque adeo ac vagas reddunt prophetias. Sed vetus is est error, inde ab Origene tractus, & a Pontificiis Scripturae ignaris cultus, quorum superstitioni nil magis videbatur fanere, quam sensuum multiplicatio. Disputat itaque Heilandus ex non concessis, communi istiusmodi hominum more, qui & a Casp. Facio ei est obiectus in *Admonitijs Altenb.* 1682. editis.



Pari ratione existimat Autor, quando IACOBVS Act. XV. 16. promissionem propheticam de reparatione collapsi tabernaculi Dauidici Am. IX. 11. allegorice exponit de vocatione Judaeorum & gentium ad Christi, coelestis illius Dauidis, ex profapia Dauidis Jessaei prognati, regnum, tunc hanc expositionem allegoricam saluum, relinquere, imo praesupponere sensum literalem & historicum, quod regnum Dauidicum terrenum per reductionem Judaeorum in terram Canaan a Christo sit restaurandum. (a)

§. 5. Hoc sensu iuxta auctoris mentem acceptum, theorema, quod *omnia Prophetarum vaticinia iuxta literam & verbaliter intelligenda sint*, negamus, idemque erroneum esse dicimus, opposites eidem contrariam assertionem D. HVNNII senioris, (quem autor alioqui & merito quidem magni aestimat) in disput. XVI. de regno Christi th. 44. *Non negatur quidem, inquit, regnum Christi nonnunquam in libris Prophetarum sermone describi figurato & methoporicis locutionibus, a terrenarum rerum similitudine petitis, quas Judaei κατὰ τὸ ἔντρον accipiendas falso autumant, th. 45. veluti quod scepro suo conterat gentes, quod acute sint sagittae eius, ut populi sub ipso cadant; quod ipsius tempore magna sit futura fertilitas, quod continua pax, donec erit luna, adeo ut gladii in vomeres & lanceae in falces vertendae sint, nec amplius gens contra gentem praeliatura: th. 46. haec autem non esse iuxta literam intelligenda, Prophetae ipsi luculenter edocent.*

§. 6.

(a) *Non congruit haec expositio menti Vatis, cum erectio tugurii Dauidis ex ratione styli prophetici & contextus Amosiani sic missio Christi Regis, oriundi ex Dauidis stirpe 2. Sam. VII. 11. quod ipse David interpretatur 2. Sam. XXIII. 5. non ad domum carnalem, sed ad aeternum salutis sibi promissae foedus pertinere. Vid. §. 6. num. 2.*



§. 6. Ut ergo res fit euidentior, ante omnia tollendae sunt ambiguitates.

1. *Omnia Prophetarum vaticinia iuxta literam esse intelligenda*, potest duplici modo intelligi, vel quod omnia Prophetarum vaticinia habeant sensum literalem, siue propriis siue figuratis verbis expressum: quo sensu acceptam propositionem concedimus; vel quod omnia Prophetarum vaticinia literaliter, verbatim, κατὰ τὸ γινώσκον & in sensu proprio accipienda sint: quo sensu intellectam propositionem negamus.

2. *Sensum mysticum & allegoricum praerequirere, praesupponere & saluum relinquere sensum literalem*, itidem duplici modo intelligi potest, verbi gratia vel de allegoria reali, quam propositionem concedimus; vel de allegoria verbali siue rhetorica, quae est continuata metaphora, de qua propositionem negamus: quia ille ipse sensus figuratus, allegoricus & mysticus est quorundam vaticiniorum propheticorum literalis sensus, verbis figuratis expressus. Verbi causa quando IACOBVS Act. XV. 16. adducit vaticinium AMOSI IX. II. *in die illa suscitabo tabernaculum David, quod cecidit, & reaedificabo scissuras murorum eius, & ea, quae corruerant, instaurabo*, illudque accommodat ad regnum Christi, ex Iudaeis & gentibus in N. T. per praedicationem euangelii colligendum, tum quaeritur, an hic sensus figuratus, mysticus & allegoricus praesupponat adhuc alium sensum literalem de externa & corporali tabernaculi Dauidici suscitatione? Negamus hoc, quia in verbis Prophetae est allegoria non realis sed verbalis, id est, Propheta verbis mysticis, figuratis & allegoricis de regno Christi vaticinatur, ideoque



ideoque alius aliquis literalis sensus in verbis Prophetæ non est quaerendus.

3. *Omnia Prophetarum vaticinia præter sensum mysticum & allegoricum habere sensum historico-literalem*, ut autor loquitur, itidem duplici modo intelligi potest, vel quod Prophetæ sub typo historiae, siue adhuc gerendæ, siue iam olim gestæ, de beneficiis N. T. vaticinentur: quo sensu propositionem concedimus; (a) vel quod historia, sub cuius typo de beneficiis N. T. vaticinantur, in sensu literali & proprio adhuc sit gerenda: quo sensu propositionem negamus. Verbi causa quando Prophetæ sub typo historiae de reductione Judæorum in terram Canaan, de conuersione eorum ad Christum & introductione in coelestem patriam, per terram Canaan præfiguratam, vaticinantur, tunc considerandum est tempus, quo Prophetarum quilibet vaticinia sua edidit. Qui ante liberationem populi Israelitici ex Babylonica captiuitate ejusdemque reductionem in terram Canaan vaticinati sunt, illi sub typo reductionis corporalis adhuc futuræ de vocatione Judæorum in regnum Christi, eorundemque spirituali reductione quibusdam in locis prophetarunt: sed qui post liberationem populi Israelitici ex Babylonica captiuitate, ejusdemque reductionem in terram Canaan vaticinati sunt, illi sub typo reductionis corporalis iam dum factæ de spirituali reliquiarum Judaicarum reductione prophetant.

§. 7. Er-

(a) *Hoc ipsum est, quod Ioh. Sacerides ex historia trium Patriarcharum elegantissima oratione Witt 1585. excusa, monstrauit. Vid. nostra dissertatio de emblematum prophetarum constitutione §. 19.*



§. 7. Ergo non potest nec debet tradi generalis eiusmodi regula, quod omnia Prophetarum vaticinia sint eiusdem generis, & praeter sensum mysticum, eadem omnino ratione, habeant etiam sensum historico-literalem: sed prudenter dispiciendum, quo de obiecto, quo tempore, & quibus verbis Prophetae vaticinati fuerint? Cum enim in Prophetis crebra fiat mentio Judae, Israelis, Hierosolymae, Sionis, Babylonis, inde quidam omnia Prophetarum vaticinia in sensu literali corporaliter, carnaliter & crasse intelligunt, uti cum primis faciunt Judaei & Judaizantes interpretes: quidam omnia in sensu mystico spiritualiter, parabolice & figurate intelligunt de spirituali Iuda, Israele, Hierosolyma, Sione, Babylone. Neutrum simpliciter & absolute probari potest, sed media incedendum via, atque ex circumstantiis textus, ex scopo cuiusque loci, ex natura ipsius rei, ex interpretatione N. T. ex collatione locorum parallelorum propheti-  
corum, prudenter & accurate considerandum, ubi Prophetae in sensu literali de Juda, Israele, Hierosolyma, Sione, Babylone corporali & externa loquantur, & sub eorum typo de spirituali Iuda, Israele, Hierosolyma, Sione in N. T. secutura vaticinentur? vicissim ubi in sensu literali figuratis verbis expresso tantum de antitypo, id est, de spirituali Iuda, Israele, Hierosolyma loquantur, ita ut de Juda, Israele, Hierosolyma corporali & externa illa nec possint nec debeant intelligi?

§. 8. Quod enim non omnia Prophetarum vaticinia iuxta literam & verbaliter (eo sensu quo Autor illud afferit) intelligenda sint, probamus I. *ex prophetica loquen-*

N

di



di proprietate & conditione, de qua duplicem annotamus regulam. Prior haec est: *Prophetae delectantur metaphoris, allegoriis & parabolicis phrasibus.* Ergo non semper literali verborum proprietati ac sensui historico-literali inhaerendum: sed quandoque figuratus, mysticus & allegoricus sensus unice sectandus. Vbi vero & quando relicta literae proprietate ad sensum figuratum, mysticum & allegoricum transeundum fit, breuibus hoc loco vix poterit explicari. In genere tamen moneamus, quod, quando Prophetae talia de Israele, Juda, Hierosolyma, Sione, Dauide vaticinantur, quae augustiora sunt, quam ut Israeli, Judae, Hierosolymae, Sioni corporali conueniant, vel quorum contraria de Israele, Juda, Hierosolyma, Sione corporali alibi praedicantur, tunc certum est, Prophetas in sensu literali non loqui de Israele, Juda, Hierosolyma, Sione corporali, sed de eorum antitypis tantum verbis figuratis, typicis ac mysticis vaticinari. **AVGVSTINVS** lib. III. de doct. Christ. c. 4. *Cauendum est, ne figuratam locutionem ad literam accipias: cum enim figurate dictum sic accipitur, tanquam proprie dictum sit, carnaliter sapitur. Ea demum est miserabilis animae seruitus, signa pro rebus accipere, & supra creaturam corpoream oculum mentis ad hauriendum aeternum lumen leuare non posse.* Cap. 10. *Quicquid in sermone diuino neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem proprie referri potest, figuratum esse cognoscas.* **HIERONYMVS** in caput XXX. *Esaiae super verba: Populus Sion habitabit in Ierusalem. Iudaei haec ad Cyri tempora referunt, quando de Babylone in Iudaeam reuersus est populus sub Zoro-*  
*babel*



babel & Jesu Pontifice. Nos autem, ut saepe iam diximus, omnes re-  
promissiones, quae excedunt mediocritatem illius temporis, ad Christi  
referamus aduentum, in quo captivus quondam populus, passione Do-  
mini liberatus, habitavit in Sion & Hierusalem, in specula videlicet &  
in visione pacis, hoc est, in ecclesia. Et postea super verba: Et erunt  
super omnem montem excelsum, & super omnem collem elevatum ri-  
vi currentium aquarum in die interfectionis multorum, cum cecide-  
rint turres. In hoc loco Iudaei multos interfectos & ruentes  
turres ad Romani imperii referunt potentiam, quod scilicet in  
illo tempore tanta beatitudo sit populi Israel, ut non solum valles at-  
que campestria, sed omnes montes & colles aquis fluentibus  
irrigentur. Nos autem montes & colles eos intelligamus, qui  
in excelsum virtutibus elevati sunt, qui esuriunt & sitiunt  
iustitiam, quos Dominus provocat ad bibendum. Qui enim  
biberit de aquis eius, non sitiet in aeternum. Hoc autem tunc  
fiet, cum interfecti fuerint, siue perierint plurimi, ( multi e-  
nim vocati, pauci vero electi ) & cum ceciderint turres siue  
daemonum potestates, siue superbi quique & arrogantes & ma-  
gni in isto saeculo. FLACIUS in Clavi Script. f. 46. ( a )  
tribus ex causis a proprietate literae in Scripturae inter-  
pretatione discedendum esse, monet, 1. quando Scripturae,  
nisi tropum subesse accipias, falsitatem prae se ferunt; 2. quan-  
do verba Scripturae, in sensu grammatico accepta, pariunt absur-  
ditatem; 3. quando sensus grammaticus pugnat cum sana do-

N 2

Etri-

( a ) mihi 59. ( utor autem editione Basiliensi de an. 1567. ) ubi Flaci-  
us ex Hyperio de multiplicitate sensuum loquitur. P. vero 217. ff.  
ipse integrum titulum dedit: quomodo cognoscenda sit tropica locutio?  
Disquisivit etiam Christ. Chemnitius duabus integris dissertationi-  
bus: quodnam sit sufficiens fundamentum recedendi a litera, & admit-  
tendi tropum? coll. Theol. de sensu Script. S. diss. V. & VI,



*Erina, vel aduersatur bonis moribus: quae singula exemplis ibidem illustrat. Sic Zach. II. 4. de Hierosolyma dicitur: absque muro habitabitur prae multitudine hominum & iumentorum in medio eius. Hoc non potest intelligi de Hierosolyma terrena & corporali, quia non potest esse tanta multitudo ciuium alicuius urbis, quae impediatur, quominus muro circumdari possit: ergo de amplitudine spiritualis Hierosolymae, ecclesiae scilicet, accipiendum, quae multo latius patet, quam ut una aliqua urbe comprehendi possit. Frustra igitur hic quaeritur sensus aliquis historico-literalis praeter figuratum & mysticum, quo ad Hierosolymam terrenam hoc vaticinium accommodari possit. HIERONYMVS in h. l. Angelus loquitur Prophetae, quantam rerum omnium abundantiam & multitudinem hominum & iumentorum, firmitatemque murorum habitura sit Hierusalem, quae in praesentiarum usque ad fauillam & cineres videatur esse destructa. Nos autem iuxta spirituales sensum haec omnia interpretamur in ecclesia, quae absque muro habitetur. LYRANVS in cap. XXXI. Jerem. super verba: confluent ad bona Domini super frumento & oleo. Per haec parabolice intelliguntur bona spiritualia, quae non capiuntur ab hominibus, nisi sub similitudine corporali, propter quod Scriptura V. & N. T. frequenter parabolice loquitur, & est ibi sensus literalis non ille, qui per voces immediate significatur, sed qui per res significatas intelligitur. Idem in fine comm. ad Ezech. Visiones aedificationum, quas tradit EZECHIEL, communiter sunt metaphoricè intelligendae, & ideo processus exponendi huiusmodi visiones sensu mystico censerì debet proprius & literalis secundum modum loquendi ipsius Prophetae, sicut in his, quae parabolice dicuntur, sensus literalis est non ille, qui per li-*  
*teram*

teram significatur, sed qui per res ipsas, quas litera significat, intelligitur. GALATINVS lib. V. de arcan. cap. 12. adducit dictum R. MOSIS Aegyptii ex libro More. Clavis intelligentiae uniuersorum, quae Prophetae dixerunt, est intelligere parabolas, metaphoras, similitudines atque aenigmata.

§. 9. Posterior regula haec esto: Prophetae verbis V. T. loquuntur de rebus N. T. adeoque beneficia Messiae spiritualia & coelestia describunt rebus corporalibus ac mundanis, & de cultu spirituali N. T. loquuntur verbis ex cultu legali V. T. desumptis. Patet hoc tum ex Apostolica oraculorum propheti-  
corum expositione, in N. T. tradita, tum ex accurata eorundem oraculorum consideratione. Verbi causa Es. XIX. 21. Cognoscetur Dominus ab Aegypto, & cognoscent Aegyptii Dominum in die illa, & colent eum in hostiis, & in sacrificio cibario, & vota vouebunt Domino, & soluent. Cap. LVI. 4. Qui custodierint sabbata mea, & elegerint, quae ego volui, v. 5. dabo iis in domo mea & in muris meis locum, v. 7. adducam eos in montem sanctum meum, & laetificabo eos in domo orationis meae: holocausta eorum, & victimae eorum placebunt mihi super altari meo, quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis gentibus. Cap. LX. I. Surge, illuminare Ierusalem: quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. v. 7. Omne pecus Cedar congregabitur tibi, arietes Nebaioth ministrabunt tibi, offerentur super placabili altari meo, & domum maiestatis meae glorificabo. Mal. I. II. Ab ortu solis usque ad occasum magnum erit nomen meum in gentibus, & in omni loco adolebitur, & offeretur nomini meo oblatio munda. Haec & similia vaticinia complura non possunt nec debent accipi de corporalibus & externis sacrificiis, in N. T. adhuc offerendis, quia typica illa V. T. sacrificia, cum cultu Levitico in N. T. sunt abolita, sed de spiri-

N 3

tualibus



qualibus sacrificiis eucharisticis & de cultu spirituali, verbis ex cultu legali V. T. defunctis Prophetæ unice & in solidum loquuntur, ut in his etiam vaticiniis frustra praesupponatur alius sensus historico-literalis praeter figuratum ac mysticum, modo a nobis expositum. Ut enim Apostoli in N. T. futuram beatitudinem coelestem verbis symbolicis ac figuratis, a rebus huius saeculi petitis, describunt: ita quoque Prophetæ beneficia N. T. verbis a statu V. T. petitis describere consueverunt. Pari ratione solent Prophetæ felicitatem bonorum spiritualium & gratiam N. T. comparare cum terrena fertilitate, quam Israelitæ tempore V. T. in terra Canaan experti erant, illamque per hanc significare, ut dicant, Christum in N. T. daturum abundantiam olei & vini, copiam pecorum & pascuorum, aurum & argentum, domus & palatia, per quae non haec ipsa materialia, terrena & transitoria, sed spiritalia & coelestia beneficia in regno Messiae expectanda significantur, quia illa erant horum typus ac figura. Esa. XXXV. 1. *Laetabitur deserta & sicutulosa, & exsultabit solitudo, & florebit quasi liliū. v. 2. Gloria Libani data est ei, decor Carmeli & Saron: ipsi videbunt gloriam Domini & decorem Dei nostri. Cap. LX. 13. Gloria Libani ad te veniet, abies & buxus & pinus simul ad ornandum locum sanctitatis meae. Joel. III. 18. In die illa stillabunt montes mustum, & colles fluent dulcedine, & per omnes riuos Juda ibunt aquae. Amos. IX. 13. Stillabunt montes mustum, & omnes colles liquefcent.*

§. 10. II. Alterum igitur sententiae nostrae fundamentum petimus ex ipsorum vaticiniorum quorundam accurata consideratione. In quibusdam enim vaticiniis ipsi-

met.



met Prophetæ perspicue ostendunt, quod verba sua non proprie nec iuxta literæ proprietatem, sed figurate & mystice velint intellecta. (a) Sic Esa. II. 2. Prophetæ de vocatione gentium verbis hæc vaticinatur: *In nouissimis diebus firmus fiet mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes, v. 3. Et ibunt populi multi, & dicent: venite, ascendamus ad montem Domini.* Explicatio statim subiicitur, quæ ostendit, figurate & mystice hæc accipienda esse. *Quia de Sion exhibet lex, & verbum Domini de Ierusalem,* hoc est, Apostoli cum prædicatione euangelii ex Ierosolyma egressuri Luc. XXIV. 47. Act. I. 8. XV. 2. gentes ad confortium ecclesiæ vocabunt. Sic Esa. XI. 6. ff. & cap. LXV. 25. de statu N. T. Prophetæ hæc vaticinatur verbis: *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum haedo accubabit, vitulus & leo & ovis simul morabuntur.* Explicatio statim sequitur v. 9. *Non nocebunt, & non occident in uniuerso monte meo sancto: quia repleta est terra scientia Domini.* Loquitur ergo de gentibus efferis & indomitis, quod per prædicationem euangelii ad Christi regnum conuersæ pacem cum aliis sint habituræ, Eph. II. 14. Esa. LIV. 11. *Ecce ego ponam in carbunculo lapides tuos, & fundabo te in sapphiris, v. 12. ponam smaragdum fenestras tuas, & portas tuas in lapides rubinos.* Statim additur explicatio v. 13. *uniuersos filios tuos doctos a Domino, & multitudinem pacis filiis tuis, v. 14. in iustitia paraberis.* Vbi probe notandum, quod Auctor in declarat. p. 32. dictum hoc ESAIAE recepit  
 feat

(a) Obseruauit quoque dudum Hieronymus in *Es. c. XIX. lib. 5. comm.* *Moris est Scripturarum, obscuris manifesta subnectere, & quod prius sub ænigmate dixerint, aperta voce proferre.*





seat inter ea, quae sensu maxime genuino de noua terra & noua Hierosolyma vaticinantur. Ergo sensus mysticus & figuratus huius dicti, non autem literalis, est ei maxime genuinus, quod ipsum de confimilibus vaticiniis figuratis dicendum. Cap. LXV. 9. *Educam de Jacob semen, & de Juda possidentem montes meos, & hereditabunt eam (Hierosolymam) electi mei, & serui mei habitabunt ibi.* V. 18. explicatio subiicitur. *Eccel ego creo Jerusalem, & gaudebo in populo meo, & non audietur ultra vox fletus & vox clamoris.* Ergo de noua, spirituali ac coelesti, non de terrena Hierosolyma Propheta vaticinatur. Hof. II. 18. *Percutiam cum eis foedus in die illa cum bestia agri, & cum volucre coeli, & cum reptili terrae: & arcum & gladium & bellum conteram de terra, & dormire eos faciam fiducialiter.* V. 19. sequitur explicatio. *Et sponsabo te mihi in sempiternum.* Hae *εξηννησεις* prophetae sunt instar cuiusdam clauis, qua ad genuinam oraculorum propheti-  
corum interpretationem penetrare possumus.

§. II. III. ex Apostolica quorundam propheti-  
corum vaticini-  
orum expositione. Apostoli in N. T. multa V. T. ora-  
cula figurate ac mystice accipienda esse, docent, quae  
expositio Apostolica non est duntaxat mystica quaedam  
& allegorica sensus literalis accommodatio, sed genui-  
na literalis sensus, verbis figuratis a Prophetis traditi,  
euolutio, atque obiecti, de quo prophetica oracula uni-  
ce accipienda sint, determinatio. Sic quando IOHAN-  
NES Apoc. XXI. 10. ff. vaticinium propheticum Esa.  
LIV. 11. 12. ad Hierosolymam descendentem de coelo a  
Deo applicat, tum veram, genuinam & literalem illi-  
us prophetici vaticinii sententiam verbis typicis & figu-  
ra-

ratis in V. T. expressam ostendit, non autem allegoriam quandam realem tradit, quae praesupponat alium literalem oraculi prophetici sensum, iuxta quem de terrena Hierosolyma idem accipi possit & debeat. Quod si namque eiusmodi vaticinia haberent adhuc alium sensum literalem, terrena Hierosolymae competentem, utique Apostoli euangelium Judaeis praedicantes eum alicubi expressissent, ac promissioni spiritualium & coelestium beneficiorum in regno Messiae expectandorum promissionem corporalis liberationis ex potestate hostium & reductionis in terram Canaan coniunxissent, quod nusquam fecisse leguntur.

§. 12. IV. *ex deductione ad absurdum.* Si omnia & singula Prophetarum vaticinia iuxta literam & verbaliter interpretari velimus, magnis inuoluemur non solum difficultatibus, sed etiam absurditatibus. Ostendimus superius, (a) Prophetas, quando de statu N. T. vaticinantur, mentionem facere incensi & sacrificii Es. XIX. 20. LVI. 7. Mal. I. 11. Quod si *iuxta literam & verbaliter*, atque, ut Autor loquitur, in sensu historico-literali vaticinia illa accipere velimus, externa & corporalia sacrificia in N. T. a Judaeis offerenda esse, consequens foret. Gen. IX. 27. Noachus de vocatione gentium ad Ecclesiae consortium sic loquitur: *Iaphet habitabit in tabernaculis Semi.* Si praeter figuratum & mysticum illum sensum alium historico-literalem in his verbis scrutari velimus, consequens fuerit, Iapheti posteros siue gentes in corporalibus Semi tabernaculis aliquando habitaturos, ac proinde non solos Judaeos, sed cum illis etiam gentes in terra Canaan habitaturas. Esa.

O

IV.

(a) §. 9.



IV. 5. & 6. de praefidio, protectione & defensione Ecclesiae N. T. Propheta sic vaticinatur: *Et creabit Dominus super omnem locum montis Sion, & super conuocationes eius nubem per diem, & splendorem ignis flammantis in nocte, & tabernaculum erit in umbraculum diei ab aestu.* Quod si praeter illum figuratum & mysticum sensum, ab historia rei olim in deserto gestae petitum, alium historico-literalem sensum de re adhuc in typo gerenda sectari velimus, consequens fuerit, Deum etiam in N. T. in columna nubis & ignis populum suum praecessurum, sicut olim in deserto eum praecessit Exod. XIII. 21. Sic Esa. LIV. 11. & 12. de Hierosolyma praedicitur, quod ex carbunculis, sapphis, smaragdibus & rubinis sit exaedificanda. Si in hoc vaticinio praeter figuratum, mysticum & allegoricum sensum, ad spiritualem & coelestem Hierosolymam accommodatum, alium historico-literalem sensum statuere velimus, iuxta quem haec verba literaliter accepta de terrena Hierosolyma, paulo ante mundi finem in terra Canaan exaedificanda, explicentur, habebimus gemmatam Hierosolymam in his terris adhuc exspectandam, contra quam Hieronymus Lib. XI. in Ezech. cap. XXXVI. inuehitur. *Neque enim (inquit) iuxta Judaicas fabulas, quas illi δευτερωσεις (a) appellant,*

(a) *Hae sunt leges secundariae, & traditiones orales, Mischna comprehensae, & explicatae uberius in Gemara Talmudis: unde Judaeorum de terreno Messiae regno fabulas collegit ordinavitque Hottingerus diff. de abus. Patr. p. 18. f. & Rudrauffius de chiiismo c. II. p. 4. ff. Conf. omnino Joh. Mich. Langii diff. de genealogiis nunquam finiendis, & fabulis Judaicis, quarum nonnullas etiam producit Calixtus orat. de vanitate libror. Talmudicor. & Hacspanius lib. de scriptor. Jud. in Theol. usu passim.*



pellant, gemmatam & auream de coelo expectamus Hierusalem.  
 (a) Idem lib. XVIII. in Efaïam dicit, Dionysium (b) elegantem scripsisse librum, in quo irrideat mille annorum fabulam, & auream atque gemmatam in terris Hierusalem, in sauratonem templi, &c. Sic Zach. XIV. 4. Propheta de ascensione Christi in coelos ac diuulgatione euangelii ad quatuor mundi plagas hifce vaticinatur verbis: *Stabunt pedes eius in die illa super montem oliuarum, qui est contra Ierusalem ad orientem, & scindetur mons oliuarum ex media parte sui ad orientem & occidentem, vallisque fiet magna admodum, & recedet medium montis ad aquilonem, & medium eius ad meridiem.* (c) Quod si praeter

O 2

fen-

(a) Sequitur apud Hieronymum: *nec rursus passuri circumcisionis iniuriam, nec ablaturi taurorum & arietum victimas, nec sabati otio dormiemus. Quae verba impugnat Jos. Medus comm. in Apocal. p. 28. quod iis promiscuae Millenariis affinixerit ceremonias legis, postliminio instaurandas. Nec dubium, quin multo Cerinthianis moderatiore fuerint Papiani, Irenaeus, Tertullianus, Lactantius, ut Tribbechouius noster docet Hist. chil. c. V. Sed & ipse Hieronymus: Quae licet, inquit, non sequamur, damnare tamen non possumus, quia multi ecclesiasticorum virorum & martyrum ista dixerunt: & unusquisque in suo sensu abundet, & Domini cuncta iudicio referentur, ad c. XIX. Jer. Augustinus de C. D. XX. 7. opinionem utcunque tolerabilem appellat: quo tamen dicto abutuntur multi, chiliasmum defendentes, in Scriptura non fundatum. Vid. ipse Gerhardus cap. IV. p. 304. ff. (b) Dionysium intelligit Alexandrinum, medio saeculo III. clarum, qui Nepotem, Aegyptiorum Episcopum, acrem chiliasmi defensorem, impugnavit libris duobus de promissionibus. In quibus si simul satisfecisse dixeris Irenaeo, non opus erit cum Calixto in tr. de extr. iudic. & Halloixio iud. in vit. Pap. Hieronymo lib. XVIII. in Es. lapsum memoriae tribuere. Fragmenta operis perditum Eusebius H. E. VII. 22. s. summam exhibet Hieronymus l. c. (c) Vtique haec propheta, ut caeterae omnes, unum habet sensum, neque adeo praeter figuratum alius est comminiscendus,*



senfum figuratum & mysticum, modo expositum, alium insuper historico-literalem sensum venari velimus, statuere cogemur, corporalem & externam montis Sionis scissionem adhuc expectandam esse. Pertinent huc similia vaticinia prophetica complura de monte Domini excelsiore futuro cunctis montibus Esa. II. 2. de habitatione luporum cum agnis Esa. XI. 6. LXV. 25. de fluminibus in cunctis montibus emerfuris Esa. XXX. 25. de vallium omnium exaltatione, & montium omnium humiliatione Esa. XL. 4. de portis Hierosolymae, nec die nec nocte claudendis, Esa. LX. II. & quae sunt

quod hic sufficit contra Heilandum. Quominus vero eam de ascensione Christi & euangelii divulgatione per orbem intelligere possimus, obstat 1. stylus propheticus: non enim congruit, ut mons oliueti eadem in periodo & proprie ipsum montem, & improprie Apostolos designet vel ecclesiam; 2. tempus & contextus prophetiae chronologicus: nam v. 1. s. vastatio ultima Hierosolymae per Romanos praedicitur, v. 3. vero divina gentium ultio, quae destruxere Judaeos. Jam cum v. 4. כיון היה | in eadem illa die seu tempore futura dicatur montis fissura, non conuenit sane, ut retrogrado ordine ascensio Christi, & quae hanc statim secuta est, divulgatio euangelii memoretur. Pedes Dei & Christi, ut recte Lutherus tom. I. Jen. Germ. f. 560. a. docet, ministerium euangelii, stare Dei eiusdem praesentiam denotat. Mons oliueti contra Hierosolymam est ecclesia Christi, in Iudaea primum fundata, sed ab ea distincta ob incredulitatem: fissurae eius montis in vallem permagnam, quam fugiunt Iudaei, schismata sunt & dissensiones in ecclesia, quales post excidium Iudaicum & deinceps fuere haereticorum & orthodoxorum, Graecorum & Romanorum, Euangelicorum & Pontificiorum, quae non possunt non offendere Iudaeos, Muhammedanos & gentes, & ab accessu absterrere. Hinc & Caluocrius suo de haeresibus ecclesiaeque dissidiis libro titulum fecit Fissurarum Zionis: rectius forte dixisset montis oliuarum, qui hic ab illa discernitur, ut a Iudaica ecclesia, destructa a Deo, Christiana. Conf. Durer. in der hoffnung Israels p. 128. ff. ubi parum a nobis dissentit.



sunt huius generis alia, in quibus praeter figuratum & mysticum sensum alium historico literalem statuere, eundemque ad corporalem & terrenam Hierosolymam applicare, est Judaismum plenis velis inuehere.

§. 13. Quin imo ne quis opinionem eiusmodi unquam indueret, Prophetae ipsimet iam pridem praecauerunt, talia de Hierosolyma praedicantes, quae in sensu historico-literali non possunt sine contradictione de terrena Hierosolyma accipi. Sic Psal. LI. 20. orat DAVID: *Benigne fac, Domine! in bona voluntate tua Sioni, ut aedificentur muri Hierusalem.* At si hoc iuxta literam & verbaliter de terrena Hierosolyma accipiendum, quomodo illi congruet vaticinium Zach. II. 4. *Absque muro habitabitur Hierusalem prae multitudine hominum & iumentorum.* Omnes ergo eiusmodi promissiones prophetae, verbis figuratis expositae, iuxta naturam N. T. & spiritualis regni Christi sunt accipiendae. Sic *acutae sagittae* Psal. XLV. 6. & *sceptrum Christi ferreum* Psal. II. 9. accipiendum de potentia verbi, quo Christus homines vel conuertit & sub obedientiam fidei redigit, vel peruicaciter repugnantem euertit. (a) Sic reaedificatio Hierosolymae passim praedicta, accipienda de reliquiarum populi Iudaici ad regnum Christi vocatione, & ad Ecclesiam N. T. congregatione. HIERONYMVS in caput LIX. Esa. in fine: *Quicquid repromissionum & legimus & lecturi sumus ad Sion & ad Ierusalem, non generaliter ad omnes Iudaeos, sed specia-*  

O 3 liter

(a) Distincte haec capienda. Sceptrum denotat verbum, quo Christus regit obsequentes: sagittae poenas omnis generis, quibus reprimit rebelles, imo & obsequentes, ne ferociant. Documento sunt loca Job. VI. 4. XXXIV. 6. Ps. VII. 14. XXXVIII. 3. LXIV. 8. CXLIV. 6. Thren. III. 13.



liter ad eos dici intelligamus, qui in Apostolis & per Apostolos electi sunt ex Israel. Vaticinia de fertilitate Pf. LXXII. 16. Joel. III. 18. intelligenda sunt de copiosissimo euangelicae praedicationis fructu, per quem gentes instar deserti prius steriles, in bonis operibus reddendae sint fertiles, Psal. LXVII. 7. Esa. XXXII. 15. XXXV. 1. 2. Vaticinia de continua pace Pf. LXXII. 7. Esa. XI. 6. accipienda non de pace-externa, sed spirituali, hoc est, de reconciliatione cum Deo, de tranquillitate conscientiae, de immunitate ab hostibus spiritualibus, de pace inter Iudaeos & gentes, pariete maceriae sublato diuinitus sancta. Esa. XIX. 22. & seqq. Eph. II. 14. ff.

§. 14. V. *Ex tacita ipsius Autoris confessione.* In Resolut. p. 196. sic scribit: *Quae de mira ferarum cicuritate & cessatione malarum bestiarum, quodque sanctis non amplius illae nociturae sint, S. Esaias cap. XI. 7. cap. LXV. ult. & S. Ezechiel c. XXXIV. 25. & 28. vaticinantur, ea si non omnia per usitatum loquendi morem & contextus συνοψιασιν de gentium barbararum cum politioribus, crudelium leonum, ursorum, luporum instar truculentarum (quales Tartari, Turcae, Americani αὐθιγαῖοι & aliae complures) cum mitioribus, atque boum, vaccarum, vitulorum, ouium & agnorum instar mansuetioribus, spontanea coniunctione sub suaue Christi iugum & confluxu ad saluberrima S. euangelii pascua commode exponi possunt: quid prohibet, quominus ad virtutem & effectum miraculosum excellentis fidei sanctorum, cui etiam ferae & noxiae bestiae cessurae ae pariturae sint, referamus? Profert quidem eiusmodi explicationem, iuxta quam nomina ferarum bestiarum, in significatione propria relinquuntur, & in sensu historico-literali ad fidem sanctorum, cui etiam ferae & noxiae*



xiae bestiae cessurae sint, referantur, interim non repudiat, sed acceptat communem, eandemque verissimam expositionem de gentium immanitate barbararum & effera- rum ad regnum Christi vocatione, earundemque per verbum euangelii mansuefactione, ut inter se & cum aliis in regno Christi pacem colant. At si verum est theorema illud, quod omnia Prophetarum vaticinia iuxta literam & verbaliter, adeoque in sensu historico literali sint accipienda, non potest allegorica & mystica illa explicatio ab omnibus interpretibus recepta sola locum habere, sed addenda erit alia, iuxta quam in sensu historico-literali hoc vaticinium vel ad terram Canaan, (in quam Iudaei ante diem nouissimum iuxta autoris hypothesin, reducendi sunt,) vel ad nouum orbem futurum siue ad nouam terram viuentium referatur.

§. 15. Neque vero assertionem Autoris, quod omnia Prophetarum vaticinia iuxta literam verbaliter intelligenda sint, probant ea, quae eidem confirmandae accommodantur. In Resolut. p. 23. primo prouocat ad canones de interpretatione Scripturae a D. HVTTERO praescriptos propof. thetic. I. cum tribus corollariis & obseruatione 2. & 3. Atqui D. HVTTERVS nullibi asserit, omnia Prophe- tarum vaticinia iuxta literam & verbatim esse accipien- da: sed docet, solum Scripturae sensum literalem esse genuinum, ac valida argumenta praebere, quod nemo nostrum negat. Diserte autem ibidem addit D. HVTT- ERVS obseru. I. *sensum literalem non esse tantum eum, quem ipsa verborum proprietas immediate prae se fert, sed etiam eum, qui ex verbis siue sententiis tropicis ac figuratis resultat, quae verba adducit & approbat Autor in Reso- lut.*





lut. p. 27. Quando igitur quaedam prophetica vaticinia verbis figuratis & allegoricis constare, ac proinde in eorum explicatione a proprietate literae discedendum esse, dicimus, literalem eorum sensum a Spiritu Sancto intentum minime tollimus, neque consequens est, modos loquendi typicos, figuratos & allegoricos, in vaticiniis prophetis usurpatos, perpetuo desumi ab historia rei adhuc gerendae, sed quandoque desumuntur ab historia rei gestae, in sensu historico-literali nunquam amplius gerenda, ut ostendit evidens exemplum Esa IV. 5.

§. 16. Secundo ibidem pag. 23. probationis loco adducit, *quod minutissima illa de introitu Salvatoris in urbem Hierosolymam, sedentis super asina & pullo asinae subiugalis Zach. IX. 9. de diuidendis vestibibus eius, & mittenda sorte super pallio eius Psal. XXII. 19. de coemendo pro triginta argenteis, quibus venditus fuerit Dominus, agro figuli in sepulturam ipsius, Zach. XI. 12. ac consimilia alia ad literam impleta esse, historia testetur euangelica, Matth. XXI. 27.* Sed argumentum hoc est ex particulari: neque enim enumerationi addi potest, non dari contrarium exemplum: siquidem constat, de Christo non solum verbis propriis in sensu historico-literali accipiendis Prophetas esse vaticinatos, sed etiam verbis figuratis, parabolicis ac mysticis. (a) Sic in proteuangelio Gen. III. 15. *semen mulieris praedicitur contritulum caput serpentis.* Gen. XLIX. II. JACOBVS Patriarcha de ipso vaticinatur his verbis: *ligans*  
ad

(a) *Cardo negotii in eo vertitur, quod orationes propheticæ nec per omnia propriis verbis, nec emblematicis sunt contextae, sed ex utrisque mixtae: ubi christiana nosse oportet, ex quibus iudicetur, quando propria sint verba, & quando emblematica?*



ad vitem pullum, & ad vitem filium asinae suae; lauabit in vino stolam suam, & in sanguine uuae pallium suum. Esa. LXIII. 1. exstat de Messia talis dialogismus. *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra, decorus ille in amictu suo? Ego, qui loquor iustitiam, & magister sum ad saluandum.* v. 2. *Quare ergo rubrum est vestimentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* v. 3. *Torcular calcaui solus, & de populis non est vir mecum: calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea, aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea.* (a) Si in his ac similibus vaticiniis praeter figuratum, mysticum & allegoricum sensum, alium historico-literalem quaerere, & proprietati literae infistere velimus, consequens erit, Christum naturalis alicuius serpentis caput in diebus carnis suae conculcare, asinum suum ad vitem ligare, in vino stolam suam lauare, & torcular externum calcare debuisse. Ac si vel maxime euictum esset, omnia vaticinia prophetica, quae de Christo agunt, iuxta literam & verbaliter esse intelligenda, nondum tamen euictum foret, absolute, & simpliciter omnia Prophetarum vaticinia esse iuxta literam & verbaliter intelligenda, cum praecipue quidem, non tamen tantum de Christo Prophetae fuerint vaticinati.

§. 17. Tertio p. 24. urget regulam Theologorum,  
P rum,

(a) *Hunc locum cum recte Lutherus in comm. non de Christo patiente, sed exscindente synagogam Judaicam exposuerit, haut immerito miramur cum Tarnouio exercit. Bibl. p. 424. quod Lutherani omnes fere hic Lutherum deseruerint, a cuius tamen explanationibus alioqui recedere non permittunt. Sed hac de re alias plenius dicetur,*



rum, quae in promissionibus & praedictionibus futurarum rerum literalis sensui etiam multo magis, quam in historia rerum olim gestarum vel ceremoniarum praeeptione inhaerendum esse, dicitur, quod D. HVTTERVVM dicta q. princ. 5. & GLASSIVM lib. II. Philol. sacrae part. I. tract. 2. sect. 3. art. 3. asserere scribit. Sed nec HVTTERVS nec GLASSIVS docent, quod in praedictionibus propheti- cis, statum N. T. concernentibus, historico-literali ac proprio verborum sensui semper inhaerendum sit, cum in quibusdam vaticiniis tantummodo figuratum sensum & allegoriam verbalem locum habere, agnoscant. Agunt vero de praeeptis moralibus, promissionibus & comminationibus, tractationibus dogmatum, verbis propriis & perspicuis in Scriptura expositis, a quibus allegorias humano arbitrio excogitatas abesse volunt.

§. 18. Quarto p. 25. monet, *Spiritum Sanctum*, in praedictionibus & promissionibus rerum futurarum per saepe una cum & sub temporalibus, quae promittit ac praenunciat, bonis, negotiisque & eventibus, velut sub typis ac figuris anagogice simul & alia bona longe praecellentiora, aeterna nempe atque coelestia, fide apprehendenda, fidelibus repraesentare atque offerre. Respondeo. Regula haec vera quidem est, sed non competit omnibus vaticiniis propheti- cis. Quandoque enim Prophetae agunt tantum de Israele, Juda, Hierosolyma, Sione corporali & spirituali: de illa in typo, de hac in antitypo, ac tum simul complectuntur & rem, quam verba proprie & literaliter accepta significant, & simul allegoriam, quam res illa repraesentat, quem quidam vocant *sensum complexum*. Quinimo  
fi



si vel maxime in uno eodemque vaticinio & typum & antitypum complectantur, non tamen sequitur, typum illum siue historiam semper accipiendam de re adhuc futura, sed quandoque historia rei iamdum gestae typice consideratur, & ad antitypum adhuc futurum accommodatur, sicut euidenti exemplo historiae de columna nubis & ignis, Israelitas per desertum praecedente Exod. XIII. ult. Esa. IV. 5. superius (a) confirmauimus. Regulae igitur illi, quod Spiritus Sanctus in praedictionibus & promissionibus rerum futurarum praesaepe una cum & sub temporalibus, quae promittit ac praenunciat, bonis, negotiisque ac euentibus, velut sub typis ac figuris, anagogice simul & alia bona longe praecellentiora, aeterna scilicet & coelestia, fidelibus repraesentet atque offerat, (quae in quorundam vaticiniorum propheticorum explicatione utiliter adhiberi potest,) addenda est haec regula: quod Prophetae verbis V. T. prophetent de rebus N. T. ac verbis a cultu legali & Levitico petitis loquantur de spirituali cultu N. T. Quae vaticinia tantum in sensu figurato accipienda: alias sequeretur, eadem beneficia corporalia, quae Deus Israelitis in V. T. praestitit, in N. T. adhuc denuo iisdem expectanda esse, & cultum Leviticum, qui cum V. T. desit, in N. T. esse reducendum.

§. 19. Proinde quod p. 29. Autor monet, *diligenter aduertendum esse, ut inter significationem tropicam singulorum verborum vel sententiarum, quae sensum literalem gignit, & inter explicationem mysticam, quae loci alicuius usum spiritua- lem summatim duntaxat indicat, sensumque literalem siue histo-*

P 2

ricum

(a) §. 12.



historicum singulorum verborum, siue sententiarum necessario supponit, rite ac recte distinguamus, id suo loco de quibusdam vaticiniis prophetiis utiliter monetur. Sed si eo sensu hoc asseritur, quod in omnibus omnino Prophetarum vaticiniis, praeter sensum figuratum, & mysticum, detur adhuc sensus historico-literalis, historiam in typo adhuc futuram designans; item quod apostolicae prophetiarum vaticiniorum expositiones, in N. T. traditae, sint tantum explicationes eorundem allegoricae atque accommodationes antitypicae, (a) alium historico-literalem sensum in illis praesupponentes; item quod omnia omnino Prophetarum vaticinia iuxta literam & verbatim sint intelligenda, tum principium hac assertionem peti, ex iis, quae hactenus dicta sunt, perspicue elucescit.

(a) Hoc §. 11. negat Gerhardus, & ipsa veritas testatur, cum oracula prophetica V. T. in N. tanquam πληρωθεντες allegantur, de illa etiam praedicta & scripta esse in V. in quo impleta dicuntur in N. Alioqui verba Apostoli dedissent, non rem ipsam, neque adeo quidquam probassent. Placet monitio Kesleri de dictor. V. T. in N. allegatione c. VI. §. 39. ne temere confugiatur ad typicam accommodationem: ad quam tamen ipse §. 45. sine necessitate se recipit.

\* \* \*

Exitus controversiae Heilandianae memoratur. Obstinatio perstringitur serum, qui emblema obscurati solis & lunae casumque stellarum Matth. XXIV. 29. & locis parallelis secundum literam exponi debere, pertendunt.

**A**Tque haec hactenus a GERHARDO contra HEILANDVVM disputata sunt, eoque potissimum tam plane exposita, vt quasi ex tempore videantur fusa, quo tanto apertius ad oculum pateret, non omnia Vatum oracula secundum literam intelligenda esse. Quod



Quod adeo verum semper visum est nostratibus, vt etiam Jenenses Theologi (a) ad ipsum iuris consultum confidenter scriberent: was anlanget vaticinia prophetica de statu ecclesiae, da wird der Herr keinen einigen Theologum nennen können / welcher lehre / daß man in demselben allezeit beim sensu literali bleiben müsse: ubi & ad hanc ipsam considerationis partem prouocant. HEILANDVS quidem & ipse (b) concessit, vt ORIGENIS & Weigelianorum, qui mystice tantum ac mere spiritualiter interpretantur Scripturas, sic & Judaeorum e contrario & Muhammedanorum cauendum esse errorem, qui carnaliter & more Epicuræo easdem accipiunt. Sed re vera errauit ipse ORIGENIS errorem, quoad has duas rationes combinaturus, in prophetiis, quae figuratis sub vocibus exhibent Spiritus S. mentem, & figuram sectari voluit, & literam. Repugnat hoc sane stylo Prophetarum, quibus adeo familiares fuerunt tropicae locutiones, vt sensum iis expressum antiqui Patres saepius ideo propheticum appellarint: (c) praeter quem tum literalis alius requiri non debet, nedum reiecto mystico, quem vocant, solus asseri. Quare cum sensus semper sit unus, sermo autem ex propriis translatisque verbis mixtus, id ante omnia oportet operam dare, ut emblematica a caeteris suis ex *νεπιηγοις* discernantur, discretaque ex ipsorum instituto Prophetarum rite explicentur. Quod cum non ita feliciter praestiterit HEILANDVS, quem ex actis Doctorem iuris & Cancellarium Ruthenicum fuisse in-

P 3

telli-

(a) apud Dedek. *consil. Theol. append. p. 483. b.* (b) *scripto l. declar. ad Theol. Ienens. apud eundem l. c. p. 481. a.* (c) *Vid. Salm. ad Eph. V.*



telligimus, dici non potest, quantis, ob ortas hinc opinio-  
nes, implicitus sit molestiis ac turbis, praecipue quod  
futuram Judaeorum conuertendorum in Palaestinam,  
a Gogo & Magogo recuperandam, defendisset reducti-  
onem. Spargere hanc coeperat anno clō 1633. una  
cum sententiis aliis, quae Augustanae confessioni (a) ad-  
uersae videbantur. Quo nomine cum anno clō 1638  
a CASP. FACIO, Cancellario & Confiliario Altenburgen-  
si, (b) qui & verum patefecit autorem, admonitus esset,  
secuta est depulsio historica Wesneriana. \* Consulti mox  
Theologi non solum Jenenses, sed & Wittenbergenses,  
& Lipsienses, quorum iudicia videri possunt apud DE-  
DEKENNVM, (c) tandemque res eo deducta, ut HEI-  
LANDVS, licet variis sese scriptis niteretur purgare,  
tamen anno clō 1640. a sacra coena suspenderetur,  
Comite Ruthenico consentiente. Durauit haec macula  
famae, ut postea quoque ab HOEO, (d) RVDRAVFFIO,  
(e) SCHELWIGIO (f) Chiliaftis sit annumeratus: quod  
quatenus verum sit crimen, colligi in primis ex iudicio  
Jenensium potest, a GERHARDO, ut apparet, config-  
nato, cum ab iis testimonium orthodoxiae peteret HEI-  
LANDVS. Dignum id est prae caeteris, quod in hac  
caussa totum perlegatur, cum illustret uberius & confir-  
met, explicetque distinctius Gerhardianam considera-  
tionem. Iam vel ex hisce intelligi a quouis facile potest,  
si quis ex certis characteribus agnoscat propheticum em-  
blema, quam temere iudicent ii, qui nonnisi ex com-  
muni-

(a) art. XVII (b) in Admonit. \* Henr. Gebhardus Wesener voca-  
batur, de quo vid. Sagitt. introd. in H. E. p. 920. (c) l. c. p. 476. ff. (d)  
comm. in Apoc. lib. VII. p. 254. f. ed. 4. Lips. de an. 1638. (e) de Chiliafmo  
c. V. p. 49. f. (f) part. II. seiner sectirischen Pietisterei art. 2. p. 161.



munibus sapientes Postillis, clamant, non esse a litera recedendum. In historiis valet iste canon, ac in doctrinis admonitionibusque diuinae Scripturae, quibus per eum Theologi voluere prospectum. Audiamus Jenenses, (a) mentem NIC. HVNNII & SAL. GLASSII exprimentes: Sie reden / inquit, von solchen örtern und stellen der Schrift / 1. welche von denn glaubens-artikeln handeln: da muß mann von dem literali sensu nicht abweichen / propter absurdum rationis, wie davon D. HAFENREFFERVS contra Calvinianos recht und wol redet; 2. welche historien / so allbereit vorgangen / beschreiben. At in prophetiis alia plerumque via progrediendum esse, satis nos docuit GERHARDVS, vt nihil addere sit necessum. Cur ergo, cum obscurationem solis & lunae casumque stellarum Matth. XXIV. 29. & locis parallelis emblematicè exposui, adeo insolitum hoc possit cuipi-am videri? Perspexi ex euentibus *καταρσις*, non posse ea verba proprie intelligi de signis iudicii extremi. Num enim ad hoc a duentus Christi, denuo iam quaero, statim post destructionem Hierosolymae contigit? num tum aliquid ultra orbi imminebit, quae metuere possint homines? num Apostoli tum fuerunt superstites futuri, & istas res ipsi visuri contingentes? num *γενεα* hominum, tempore CHRISTI viuentium, tantisper erat victura, dum ista omnia fierent, quae de eo iudicio praedixerat Christus? Non potuit se ipse GERHARDVS, (b) cum in haec verba incideret, aliter extricare, quam ut diceret, studio sic locutum esse Seruatorem, eo quod noluerit explicare, utrum de excidio Hierosolymitanae urbis, an orbis loqueretur? ut semper dies ad-

(a) apud Dedekenn. l. c. p. 483. a. (b) Contin. Harm. eu. p. 762. f.





aduentus sui, quasi propinquus, expectaretur. Sed hoc istiusmodi est, ut non potuerit non ipsi CALOVIO (a) tanquam incongruum displicere, ac prorsum repudiari, licet nomen non exprefferit. Quaero denique, num. Apostoli vel alii homines effugere potuerint aut possint ista omnia, quae de hoc iudicio vaticinatus erat JESVS, quaeque illud comitatura erant signa? Nihil vero clarius docet contextus, quam quod CHRISTVS a praedictione desolationis Hierosolymitanae nondum discesserit, ad rem aliam, sed eidem inhaeserit, euersionemque totius adeo reipublicae & ecclesiae Iudaeorum, quae tum statim secutura erat, ea praenunciauerit dictionis forma, qua similem gentis alicuius calamitatem exprimere semper, soliti fuerant Prophetae. O quam multo iam olim fidei MAIMONIDES (b) perfricuit eos, qui talia Es. XXXIV. 3. ad finem mundi retulerunt, quasi re vera coelis euentura: quod & in sui aequalibus FRANZIVS (c) noster notauit. Ad Es. XIII. 10. 13. autem, ubi Babyloniorum futura destructio ita describitur, Iudaeus ille: (d) neminem, inquit, arbitror ita ignorantem, caecum, literaeque parabolarum & narrationum historicarum vel oratoriarum addictum esse, vt existimet, stellas, coelum, lucem solis & lunae mutata esse, vel terram de centro suo motam, quando destructum fuit regnum Babyloniorum. Sed iam satis alias (e) rationibus ostendi veram sententiam, quam multi passim mecum non agnoscunt solum, sed & publice profitentur. Quae autem restant dicenda, futurae seruo occasioni. DIS-

(a) *Bibl. N. T. illustr.* p. 423. a. (b) *More Neb part. II.* 29. 267 edit. Buxtorff. (c) *lib. de interpret. Script. orac. XCVI.* p. m. 909. (d) *ibid.* p. 265. (e) *Diff. peculiari.*



DISSERTATIO III.  
DE  
EMBLEMATVM PROPHE-  
CORVM INTERPRETATIONE.

SVMMA CAPITA.

§. 1. Negligentia studii emblematici notatur. §. 2. Emblemata vera distinguuntur a fictis putidisque allegoriis, quarum vanitas ostenditur. §. 3. Regulae generales de dignoscendis emblematis. §. 4. Κετηνοια verorum emblematum indicantur, exemplisque V. T. illustrantur. §. 5. Quomodo ipsi nobis Prophetae emblemata quasi characteribus commonstrauerint. §. 6. Errores hinc perstringuntur communium Postillatorum. §. 7. Sensus verorum emblematum locutionumque parabolicarum innatus discernitur ab illato, quem reiicimus. §. 8. Quatenus Theologia emblematica argumentatiua sit, vel non sit? inde decernitur. §. 9. Hinc I. certas esse emblematum prophetorum significationes, argumentis defenditur. §. 10. II. regulae speciales eas rite eruendi ordine suppeditantur, & exemplis potissimum N. T. declarantur. §. 10. Quot modis ipsi Prophetae emblemata exposuerint, distincte docetur. §. 12. Studium in his Patrum veterumque ecclesiae nostrae Theologorum commendatur. §. 13. Iudicium inseritur de nimio Cocceii & Joncurtii effusa petulantia §. 14. Quinam istiusmodi emblemata optime omnium explicauerint 1. ex antiquis Iudaeorum Rabinis? §. 15. Quid in hoc genere praestiterint 2. ecclesiae Christianae Patres, & Pontificii doctores? §. 16. Quid 3. nostrates Theologi & Philologi inde a Luthero? §. 17. Quinam emblematum Lexica moliti sint 4. inter exteros, Anglos inprimis & Belgas? §. 18. Exempla falsarum interpretationum in cumulo exhibentur. §. 19. Specimina verarum explicationum producuntur ex scriptis Lutheri. §. 20. Totus psalmus XLV. secundum hanc doctrinam breuiter perlustratur.

Q

§. 1.





Vo maior ecclesiae nostrae aevo LV-  
THERI felicitas fuit, JOH. RIVIO (a)  
ex merito praedicata, cum post reuoca-  
tas in lucem literas sacrorum oraculo-  
rum praecipue studia florerent, eo spif-  
sior multorum postea mentes occupa-  
uit caligo, ex quo in Scholasticas denuo delati labyrin-  
thos, deserere vestigia maiorum coeperunt. Pauci sane  
reperiuntur, qui eo serio contendant, vt ita contra Pon-  
tificios gloriari exre & vero possint, uti quondam LV-  
THERVS: (b) ich kann Psalmen und Propheten aus-  
legen: das können sie nicht/ u. s. w. Eius rei quae sit po-  
tissimum caussa, audiamus ex eodem: (c) Sie verlas-  
sen sich auf ihre bücher / daß sie eine predigt daraus  
nehmen können / beten nicht/ studieren nicht/ lesen nicht/  
betrachten nichts in der H. Schrift / gerade als müsse  
mann die Bibel nicht darum lesen / brauchen solche bü-  
cher/ wie der formular und kalender/ die jährige nahrung  
zu verdienen/ und sind nichts/ denn psittig oder tohlen/ die  
unverständlich nachreden lernen: da doch unsere und sol-  
cher Theologen meinung diese ist/ sie damit in die Schrift  
zu weisen / und zu ermahnen/ daß sie dencken sollen auch  
selbst unsern christlichen glauben nach unserm tode zu ver-  
thädigen wieder den teuffel/ welt und fleisch u. s. w. Haec  
illa fundi nostri calamitas, quam summi semper in ec-  
clesia viri, in primisque TARNOVIVS, VARENI-  
VS

(a) *lib. de saec. sui felicit. & hominum ingratiud. an. 1548. ed* (b) *tom. V. Jen. Germ. im sendsch. vom dolmetschen* (c) *tom. VIII. Jen. Germ. f. 49.*

VS, WALTHERVS, AFFELMANNVS, MVLLERVS, KOENIGIVS, SCHMIDIVS, SCHOMERVS, LOESCHERVS ad hunc usque diem deplorarunt acerbissime. Nouissime DVRERVS: (a) unsere ganze Theologie/ inquit, bestehet meist im studio polemico, und solches wird durchgehends auf scholastische weise getrieben. Spinne-weben zu würcken von nichts-nützen subtilitäten/ nehe zu stricken von verwirreten distinctionen/ in unnöhtigen fragen und wortgezäncke ein meister zu sein/ ist bei vielen die höchste spitze der theologischen erudition. Das studium exegeticum wird wenig getrieben / und bei nahe anders nicht / als daß mann aus einer unzählbaren menge der commentarien / den alten kohl immerzu wieder aufwärme / und der jugend aufstiche. Daher kommen solche magere / ungesalzene / ungeschmackte und ungereimte erklärungen der Schrift-texte öftters vor den tag/ weil wenige sich selber befeissen die hermeneuticam sacram auszuüben / sondern manns gemeiniglich genug sein läffet / wenn mann fleißig commentarios lieset / einer aus dem andern lustig ausschreibet / und daher der welt so viel ungeheure folianten aufbürdet / ( nam famosa nominis librorum, quos edunt, pondere & numero metuntur, sagt BARCLAIVS nicht unrecht von denn Deutschen insgemein in Icone animorum ) aber indessen das sprichwort zugleich wahr machet: oscitante uno, oscitat & alter. Idem verbum in eadem caussa usurpabat & DANNHAEVERVS, (b) addebatque: wenn ein thier geschrien: Ja/so haben die andere mit geschrien: Ja/Ja: loquebatur autem de

Q<sub>2</sub> allc-

(a) in der hoffn. Israels p. 141. f (b) in Memoriali ei. p. 666.



allegoristis Pontificiis, sectatoribusque eorum. Qui vti sua ipsorum commenta maximi faciunt, ita Spiritus S. emblemata adeo parum habent pensi, ut ingeminare & hodie necessum videatur veterem FRANZII (a) querelam. *Si qui, inquit, stylum diuinum etiam aestimabunt iuxta artis rhetoricae praescripta, in diuinis prophetiis & scriptis tropos & figuras reperient infinities illustriores tropis & figuris humanorum scriptorum. Et qui sic? Annon, qui Poetis & Oratoribus veteribus aliquam micam eloquentiae contulit, ipse ipsissimus thesaurus eloquentiae sese euacuasset eloquentiae flosculis? Eotamen dementiae permulti prolapsi sunt, ut putent, Biblicos tropos esse exiguos, imo ex Poetis solis petenda adminicula, pro inueniendis tropis excellentissimis, (neglectis scilicet interim Biblicis.) Molestum mihi est, impia ista recensere, quae singuli pii statim agnoscent, deplorabunt & corrigere satagent. Vis Poetam agere eximium & Oratorem, quaeso, tropos, seu, ut nos vocamus, emblemata ne negligas in Bibliis. Quorum cognitione cum tantum merito GERHARDVS (b) posuerit pretium, ut eam cum MAIMONIDE pro clauae intelligentiae haberet uniuersorum, quae Prophetae dixerunt, de eorum iam legitima interpretatione aliquid commentari in animum induximus.*

§. 2. Ante omnia ergo emblemata vera a confictis distinguere allegoriis audacia nos cogit illorum, qui tropos comminiscuntur & figuras, vbi proprius & simplex est sermo, atque adeo ex narrationibus non solum veteris sed & noui testamenti nescio quae mysteria fabricant & prophetias, peruerso sane instituto. Nam  
etfi

(a) de interpret. Script. S. Orac. LV1. p. m. 744. f. (b) lib. de bibliasmo, seu considerat. contra Heiland. c. II. p. 25.



etsi ipsis quoque historiis siue gestorum siue rituum veterum futura DEVS adumbravit, quae illarum quasi προτασεων sunt αποδοσεις, duplici tamen ex capite ab iis saepius fuit erratum. Primum quidem, cum verba homines ceperunt pro figuris, quarum res ipsae potius sustinuerunt vicem; deinde cum in ipsa quoque mystica expositione non totam harmoniam respexerunt prophetici styli, sed suae singuli, nisi forte sectarii essent aliorum, obsecuti sunt indoli & imaginationi. Hinc tam varias variorum sententias reperies, quibus sanctas quisque Scripturas adaptavit, velut cereum nasum, & ad omnia flexit, incertaeque suspectam reddidit veritatis; hinc tam stupenda deprehendes portenta, quae quo felicius quis iuuenili concitatus feruore excogitavit, eo diuinorum obtentu oraculorum coloravit artificiosius. Tolerari fortean interpretis, si prudens sit, comparatio queat: sed si ea pro mente ipsius obtrudatur loquentis Dei, quasi is talia signate voluerit verbis denotare, quis non agnoscit temeritatem? Mirum sane, quantum hic sibi sumserint, qui Alexandriae veterem Aegyptiacam & Platoniam imbiberunt symbolicam Philosophiam, nominatim e Judaeis R. SIMEON BEN SETAH & PHILO, qui allegoriis praecipue deditos memorat *μετας*, (a) e Christianis ORIGENES, pater ille allegoristarum, de quo consuli HVETIVS (b) potest integro libro. Ab hoc ad plures deinde propagatus est iste morbus, ipsumque corripuit HIERONYMVM & AVGVSTINVM, qui primis adolescentiae annis, cum histo-

Q<sub>3</sub> riam

(a) *lib. de vita contemplat.* Vid. Euseb. H. E. II, 17. (b) *in Origenianis.*



riam nescirent, mysticis Scripturae & Prophetarum explanationibus, veluti facilioribus, aetatique suae tum magis accommodatis, indulserunt. Secuta hac lue infectorum ingens turba, quorum allegorias SCHOENLEBENIVS, HAZARTVS, alii collegerunt. Erant & apud Graecos magno numero, qui infinitum quendam coaceruabant cumulum figurarum, ut ostenderent, omnia, non tam maxima, quam minima, iis fuisse praemonstrata: quae ratio interpretandi cum foedissimis fabulis sacratissimas inficiat literas, & collutulet salutare doctrinas, ab ipso reprehensa est GREGORIO NAZIANZENO. (a) Nil iam dicam de EVCHERIO Lugdunensi, GREGORIO M. HVGONE VICTORINO, NIC. LYRANO, caeterisque, quos JAC. THOMASIVS, (b) GOTHOFR. ARNOLDVS, (c) P. ZORNIVS (d) percensuerunt mystagogiae cultores, qui saepe quiduis per allegorias de Scripturis deduxere. Nimia tandem licentia fuit Homiliariorum imperitorumque, Monachorum & Scholasticorum, qui Metaphysicis suis notionibus unice occupati, ad dignoscendas propheticas otium non habebant, nec nefas putabant, diuinae veritati insulissimas suas assuere coniecturas. *Multi sunt* (ita istiusmodi de hominibus AVG. STEVCHVS EVGVBINVS (e) scribit) *maxime e concionatoribus, qui saepe diuinas extorquent literas, dum illud volunt esse figuram illius, & illud alterius: acciditque, ut oculatis in nos Judaeis ludibrio*

(a) ut or. XL. in sanctum bapt. (b) in Sched. Histor. seu Originib. hist. Philos. & Eccles. (c) in Histor. Theol. mysticae. (d) diss. de expos. phrascol. dogmat. ex analogia rituum passim, imprimis c. V. (e) Recognit. ad Deut. VI. 4.



*brio simus.* Nemo autem mysticos eorum lusus tres-  
que, quos praeter literalem finxere, sensus tropologi-  
cum, allegoricum & anagogicum, acrius perstrinxit,  
quam diuus noster LV THERVS. Der sinn / inquit, (a)  
den du geistlich und lebendig nennest / der ist eben / daß / so  
mann ihm allein anhangt / besser wäre eitel Poeten fabel  
dafür gelesen: denn er ist gefährlich. Es gemahnet mich der  
Allegoristen / (sic alibi (b) pergit) welche S. Hieronymus  
in Prologo denn gaucklern vergleicht / als wenn ich aus  
Dieterich von Bern wollte Christum machen / \* und aus  
dem riesen / mit dem er streit / den teuffel / und aus dem  
zwerge die demuht / aus seinem gefängniß den tod Chri-  
sti / oder sonst irgend ein ritterspiel oder historien für mich  
nehme / daß ich meine gedanken an übet / und damit spie-  
let / wieder gethan hat / der Ouidii Metamorphosin ganz  
auf Christum gezogen hat. \*\* Oder / auf daß meine gei-  
ster nicht zürnen / daß ich ihr ding so vergleiche denn welt-  
lichen fabeln / wenn ich S. Georgen legenden nehme / und  
spreche: S. Georgius wäre Christus; die jungfrau / so  
er erlöset / wäre die Christenheit; der drach im meer wäre  
re der teuffel; das pferd wäre die menschheit Christi; der  
spär wäre das evangelium u. s. w. Item da S. Petrus  
ins meer sanck / und Christus ihm halff / mücht ich sagen:  
das meer ist die verfolgung und trübsaal in der welt:  
Petrus ein iechlicher Christ / wann er zweiffelt; und Chri-  
stus die gnade Gottes u. s. w. (c) Ipse aliquando domi-  
nica

(a) tom. I. Jen. Germ. f. 430. b. (b) \* *Multo sane inconsidera-  
tius ex Samaritano Luc. X. 35. fabricatur Christus, quod impium esse,  
docet Dannh. Mem. eu. p. 668. \*\* Similia in Iliade Homeri Joh.  
Hugo & Croesus tentarunt.* (c) tom. III. Jen. Germ. f. 86. b.





nica XII. post Trinitatis super verbis MARCI VII. 31. de profectioe Christi ex Tyriis Sidoniisque finibus ad mare Galilaeae per medios fines Decapoleos ex nescio quo hanc audiui allegoriam: Tyrios Sidoniosque fines gentilissimum esse, quem fugere debeant pii; mare Galilaeae misericordiam inexhaustam Dei in Christo signare, ad quam contendere debeant afflicti; Decapolin figuram esse decalogi, secundum cuius ambulare praecepta debeant iusti facti. Talia ac tam putida afferunt, vulgo, & hi ipsi tamen sunt, qui auctoritatem sibi plusquam censoriam arrogant, si quis de vera ratione prophetiae ipsis ignota tradat. Vtinam non eandem quoque cantilenam cecinissent LVC. OSIANDER, (a) JOH. MOLLERVS, (b) JOH. STVMPFIVS, (c) ipseque NIC. HVNNIVS, (d) & JOH. BOTSACCVS, (e) qui tamen plerumque ea modestia fuere, vt veterum exemplo, nominatim GREG. NYSSENI, (f) cogitata sua legentium iudicio submitterent. Quo ex Pontificiis alter ille DIONYSIVS, JOH. RVSBROCHIVS, DIDACVS DE BAEZA & ANTON. DE RAMPELOGIS, ex Fanaticis PAVL. FELGENHAVERVS, tum & JAC. BOEHMIVS, & reliqui huius commatis processerint, notum est literatis. Qui si sua inuenta urgeant ut vera, dudum respondit LVTHERVS: (g) ich secht ietzt nicht / ob sie alle falsch sind / oder nicht: das weiß ich aber wol / daß sie oft feilen / und ein lauter traum sind / weil sie ohn grund der Schrift dar  
bracht

(b) in Paraphrasi Bibl. (b) in Allegoriis profano-sacris. (c) in Poestilla allegorica. (d) in harmonia euangelior. dominic. cum historiis V. T. (e) in Promptuario allegoriar. (f) lib de vita Moſis (g) l. c.



bracht werden. *Nihilo firmiora sunt*, inquit **BVCERVS**,  
 (a) *quam quilibet ingeniosior ex HOMERO & VIRGILIO quo-*  
*que confingere possit. Hinc magno ecclesiae redimendum esset,*  
 (ita idem alibi (b) vouet) *ut relictis inanibus ac plurimum*  
*maiestati doctrinae CHRISTI derogantibus-allegoriis & commen-*  
*tis aliis friuolis, simpliciter & sobrie persequeremur id, quod*  
*Dominus dicere voluit: in quo sane discendo & docendo satis*  
*superque, quod agamus, quoque aedificemur, nobis propositum est.*  
 Praestaret hoc utique prae inutili illo studio allegoriarum,  
 si iis non, quemadmodum & quatenus decet, calleamus  
 uti. Nam illa licentia omnia ubique in allegorias transforman-  
 di, iudice **CASP. CRVCIGERO**, (c) *nequaquam toleran-*  
*da est, quia leges morales, promissiones euangelii, articuli fidei,*  
*conciones, in quibus litera ipsa de Christo proprie loquitur, di-*  
*sputationes de dogmatibus, ut sunt Paulinae, nequaquam debent*  
*in allegorias transformari.* Nequis autem propterea e-  
 contrario in defectu adeo peccet, idcirco alicubi in fa-  
 ctis locum relinquit allegoriis, quippe quae propter  
 hanc ipsam causam proposita esse docet, quo aliud si-  
 gnificent, ut historia de immolando Isaaco, de scala  
 Jacobi, & similia, quod & **SASCERIDES** integra do-  
 cuit oratione. Haec autem eo iam perstringere bre-  
 uiter libuit, ut ne quis nostrum institutum eo interpre-  
 tetur, quasi nomine emblematum omne promiscue ge-  
 nus allegoriarum defendamus. Quin potius allegorias  
 in uniuersum omnes distinguimus ab emblematibus, &  
 dispescimus in eas, quae menti Spiritus S. & quae in-  
 genio interpretis tantum sunt consentaneae, hasque re-  
 iicimus,

(a) in *Job. III.* (b) in *Matth. VI.* (c) *comen. in I. Tim. IV.*  
 p. 205. f.

iicimus, illas vero tanquam emblematis cognatas magni aestimamus.

§. 3. Ut itaque recta iam via, nec offenso pede incedamus, principio duae regulae sunt obseruandae, quas perspicue dudum explanauit AVGVSTINVS. (a) Prima est, ut caueamus, ne proprias locutiones pro emblematis accipiamus, quod vulgo sic effertur, ne tenere a litera recedamus, videlicet in planis doctrinarum legumque propositionibus, atque adeo in historiis gestorum. Quae licet res alias respiciant saepius, quemadmodum tota Scriptura non est nisi speculum, in quo unum splendet ex altero, ut haut vulgarem voluptatem afferat videre vel audire, quam pulchre facta veteris instrumenti respiciant Christum, ac quasi digito indicent: in iis tamen, uti diximus, non verba sunt tropica, sed res ipsae sunt imagines futurarum. Quocirca necessum est, in his ac talibus ante omnia natium quaerere sensum, qui recte & solide nos erudit, qui pugnat, defendit, vincit, docet, consolatur & aedificat, ut ait LVTHERVVS: (b) ac tum super hoc fundamento haut erit difficile exstruere allegoriam. Als wenn mir einer liesse bleiben / daß Petrus nach dem schriftlichen sinn (der worte) auf dem meer wäre gangen und gesunken Matth. XIV. 30. fragte ich nichts darnach / wie ers darnach deutet / so ferne / daß ohne schaden des glaubens geschehe / ut idem LVTHERVVS (c) contra CAROLOSTADIVM scribit: quanquam & hic, si rite res institui debeat, magna circumspectio sit adhibenda. Videri qui-

(a) de D. C. III. 5. 10. (b) tom. VI. Lat. in Gen. XXX. (c) tom. III. Jen. Germ. f. 87. b.



dem haec praeceptio ferme superuacanea queat: quae tamen tanto est magis necessaria, quanto minus communiter homines, persuasionibus suis decepti, sibi cauent ab errore. Cum enim plerumque non ex re ipsa, sed ex sua imaginatione & impulsu, quo feruntur, aestiment obiecta, atque adeo quasuis repentinas cogitationes suas pro veritatibus, motusque naturales agnoscant, pro legitimis, quibus iniquum indignumque esset non indulgere, hinc fit, ut ea omnia, quae ab ipsorum opinione abhorrent, tanquam ridicula & inepta reiicienda arbitrentur. Eoque contingit, ut, si quid tale Scriptura vel promittat vel mandet, ac verbi autoritatem repudiare ipsi haut queant, figuratam putent dictionem. Comprobare id suo exemplo vel soli possunt Iudaei, quotquot omnia transmutarunt in allegorias, literalis sensu tanquam crasso prorsus deserto: quam commentandi rationem merito auersatus est ABENESRA, tanquam nimis sublimem, & ipsa subtilitate sua deliram, quae nil certi probet, sed potius fluctuantem lectoris animum in periculosiores dubitationum syrtes deuehat. Reformati quoque & Sociniani, ubi vera Christi in sacro epulo praesentia, vel aeterna diuinitas, vel communitas redemptorum sacris literis, quasi solis radiis descripta habetur, ut nihil videatur vel cum specie quadam contradici posse, ad tropos confugiunt, & nescio quae emblemata praepostero fingunt ausu. His autem post LVTHERVVM, FLACCIVM, GLASSIVM, FINCKIVM, aliosque ecclesiae nostrae Theologos, HACSPANIVS obuiam iuit integra de locutionibus sacris disputationum quadriga: ut pateat, quam parum relicta sibi ratio fundamentum.

R 2

esse



esse queat a clara litera recedendi, quod fuisse CHRISTI. CHEMNITIVS (a) ostendit, quamque gloriosum nobis sit, in his ac talibus Proprietariorum nomine notari. Sed & inter ipsos nostrates, cum durum nimis videatur, si CHRISTVS iussisset euellere oculum, manum amputare, & similia, sunt, qui opinentur, orationem eius Matth. V. 29. allegorice esse explicandam. Recte contra AVGVSTINVS: (b) *quidquid, inquit, asperum & quasi saeuum factu dictuque in sanctis Scripturis legitur, ex persona Dei vel sanctorum eius, ad cupiditatis regnum destruendum valet. Quod si perspicue sonat, non est ad aliud referendum, quasi figurate dictum sit, quod alienum est a stylo legum, nisi vel obscenitas rei, vel vocum inopia requirat tropum. Voluit CHRISTVS, si aliter euitari offensus non possit, summum apicem monstrare perfectionis & castitatis conseruandae, eoque ne pessum iret totus homo, truncationem potius praecepit membrorum.* LOESCHERVS (c) in decimis ad terminos hoc refert Scripturae, *zu denn gränz-steinen göttliches Worts / \*in welchen die sache / so viel nur möglich / aufs höchste getrieben wird / also / daß man nicht weiter kommen / noch darüber schreiten / zugleich auch den höchsten grad solcher lehre daraus kernen solle / wie dieses die morgenländische lehrart auch mit vrachte.* Idem de v. 38. ff. censendum, ubi iterum allegoria non satisfacit verbis CHRISTI, quippe qui ibi priuatam illegitimae talionis persecutionem eo usque prohibet,

(a) *coll. de sensu Script. S. disp. VI. §. 6. ff.* (b) *de D. C. III. 11. (c) des. VIII. num. 1. p. 68. ff.* \* *Talia paradoxa in Scriptura N. I. haut raro occurrunt, ut in doctrina de redemptione 2. Cor. V. 21. de regeneratione & regenerato 1. Joh. III. 9. Rom. VII. 14.*

bet, ut alapa percussus, & alteram aduersario obuerte-  
 re maxillam, tunica priuatus altercationis fugiendae  
 caussa & pallium non dare quidem, sed dimittere, tum  
 & unicum milliare a magistratu ire coactus, ne receptae  
 constitutioni repugnare videatur velle, duo potius ire  
 debeat. Legat ea de re, qui volet, plura apud **LVTHE-  
 RVM**, (a) **BRENTIVM**, (b) & **LOESCHERVM**, (c)  
 qui de ea amplius tractauit: nobis enim ad alia prope-  
 randum. Altera ergo regula est, ut ne figuratam locu-  
 tionem proprie ad verbum accipiamus, solumque secu-  
 ti sonum, negligamus significatum emblematum ac sen-  
 sum: quod in prophetiis maxime obseruandum. Ser-  
 uilis est infirmitas, iudice **AVGVSTINO**, (d) in his  
 literam usque sequi, & ubi sabbatum dicitur, non nisi u-  
 num diem de septem, ubi sacrificium auditur, non nisi  
 illud de victimis pecorum terrenisque fructibus cogita-  
 re. Hic ille lapis est, ad quem adhuc tam misere im-  
 pegerunt Iudaei: nam licet ipse **MAIMONIDES** (e)  
 agnosceret errorem, si quis parabolice dicta simpliciter  
 intelligeret, nihilo tamen fecius, cum in ea inciderent,  
 quae de regno Messiae per figuras a regno ciuili desum-  
 tas locuti sunt Prophetiae, ultra non assurgentes, quod-  
 dam ciuile regnum Christi in terris somniarunt, in quo  
 mansura sint externa sacrificia, & Leuiticus suus cultus. A  
 quo errore licet parum initio abessent ipsi discipuli Chri-  
 sti, satisque crasse de rebus sentirent Messiae, ut pecu-

R 3 liari

(a) tom. I. Jen. Germ. f. 191. f. (b) in h. l. (c) dec. I.  
 num. 8. p. 77. ff. (d) de D. G. III. 9. (e) More Neb. pars.  
 II. c. 29.



liari dissertatione VEIELIVS (a) ostendit, multo tamen illis subinde prudentiores, & ut cum LVCA. Act. XVII. II. loquar, *ευγενης εσσι* erant. Cum enim aliquando CHRISTVS Marc. IV. I. ff. parabolicam proferret de semine prophetiam, quod in quadruplicem ceciderat agrum, non de arando aut serendo, de hordeo vel tritico solliciti, relicta litera altius intelligebant mente ascendendum. Quaerebant itaque domi v. 10. Luc. VIII. 9. quid hoc sibi vellet? Quod & alii postea faciebant Marc. XIII. 10. sicque is ardor discendi placebat Seruatori, ut gaudio exultans, ipsis datum esse praedicaret arcana nosse coelestis regni, caeteris vero, qui neglexissent ulteriorem explicationem, non item. Stupenda vero caecitas Iudaeorum, quod qui in reliquis omnibus, ubi non decebat, in historiis, in ritibus figuram sectabantur, in prophetiis contra, ubi nil magis conueniebat, reiicerent figuram, literam autem eo, quod corporea videretur promittere, amplecterentur. Minime autem omnium admitti debet renouatus ab HEILANDO error, ut una in prophetia locutio duplex statuatur, propria una, altera, emblematica: quod quam parum congruat simplicitati sanctorum oraculorum, satis contra eum GERHARDVS (b) demonstravit. Neque enim diuinorum sermonum nisi unus est sensus, neque est verborum nisi unus significatus, modo proprie, modo tropice aut emblematicè literis expressus. Exempli causa cum DEVS apud ESAIAM XXVIII. 16. se ipsum pollicetur lapidem angularem in Zione fundaturum esse, lapis angularis

ibi

(a) de errore Apostolor. & discipulor. Christi circa regnum Messiae mundanum Arg. 1664. (b) Tr. de chiliastro c, II.



ibi non simul & verum saxum denotat & Christum, sed alterutrum, & quidem, vt ipse Seruator Matth. XXI. 42, Marc. XII. 10. & PETRVS Act. IV. 11. 1. ep. II. 6. & PAVLVS Rom. IX. 33. unanimes docent, Christum. Nihil autem magis mirandum videtur, quam quomodo homines mente praediti id a se potuerint impetrare, vt literae inhaerentes, Deo Opt. Max. adeo vitiosa tribuerent, & absurda, vt fecerunt Audaeani.

§. 4. Hinc ne ingenio cuius suo indulgeat temere, nec pro arbitrio comminiscatur vel proprias locutiones, vel emblematicas, vbi non sunt, dici non potest, quam solcite iam tum AVGVSTINVS, (a) *κατηχησις* exquisiuerit, vnde illae dignosci ab inuicem queant. Neque tamen satis adhuc feliciter hanc rem expediit, cum ad honestatem morum fideique veritatem, quae & analogia fidei vocatur, retulit omnia, quidquid his aduersatur, figuratum, quidquid non aduersatur, non quoque figuratum pronuncians. Primum enim nimis angustis limitibus haec continetur admonitio, cum fieri saepius possit, vt salutari doctrinae non repugnet, neque tamen Scripturae mentiue diuinae, per eam expressae, congruat figuratus sermo. Sane siue proprie intelligas coelos & aethera Pf. XIX. 2. siue tropice pro ecclesia per orbem propagata accipias, nihil inde decedere videtur veritati doctrinae, sed vtrumque conciliari facile potest, neque tamen utrumque aequae conuenit instituto diuino, vt vel ex allegatione Paulina Rom. X. 18. liquet. Quare nimis abiecti foret animi, his in angustiis consistere, casumque experiri ultimum necessitatis, nec antequam

(a) de D.C. III. X. ff.





impium inque maiestatem Dei iniurium fit, si literae in haereatur, ultra cogitare, ac se ad superiora eleuare, verbis tanquam emblematicis designata. Deinde ubi vel maxime fides tangitur propius, hoc ipsum est in quaestione, an re vera aliquis locus incurrat in honestatem ac fidem? Quod cum non ex nostris ingeniis ac libellis decernendum, sed ex ipsis sacris literis probandum sit ac demonstrandum, eoque has rite prius oporteat intelligere ac interpretari, hinc quaestio recurrit, quae nam demum propria sint, quae allegorica? Plerique adhuc existimarunt, CHRISTVM Matth. XVIII. 8. f. tropice locutum, cum praeceptum de abscindendis manu ac pede, ac eruendo oculo abhorreat ab eo officio, quod sibi ipsi quiuis debet. Sed quaeritur adhuc, num adeo iniquum istud sit, auellere artus, ne toti homini sint noeumento? Multo itaque distinctius paulatim maiores nostri, ipse primum LV THERVS, in hoc genere plane eximius, tum & FLACIVS, (b) FINCKIVS, (c) GERHARDVS, (d) GLASSIVS, (e) MEISNERVS, (f) CHRIST. CHEMNITIVS, (g) AFFELMANNVS, (h) MOEBIVS, (i) PFEIFFERVS (k) hoc exposuere caput. Mens omnium horum eo maxime reddit, ultimum ac primum fundamentum recedendi a litera ipsam esse Scripturam sacram, tum ex claris ac per-

spicuis  
 (a) tom. III. Jen. Germ. f. 74. a. 482. b. 518. a. & praef. in Obad. (b) Clau. Script. part. II. p. 59 & 217. ff. (c) Clau. Script. c. VIII. p. 54. (d) Coll. Antivendel. p. 145. & de chiliafmo p. 22. ff. (e) Philol. f. part. I. p. 285. (f) Schol. Acad. p. 213. (g) coll. Theol. de sensu Script. S. disp. V. VI. §. 11. ff. (h) Synt. part. I. passim. (i) can. Theol. can. XIV. p. 73. ff. (k) Thes. Herm. p. 156. ff.



spicuis eius effatis collectam doctrinae summam, demura ipsam rerum propositarum euentiam: quod iam distincte per partes euoluam. I. ergo a litera est discedendum, ubicunque *σχῆσις* subiectorum & praedicatorum requirit tropicam explicationem. Nam si de subiecto dubites, utrum in litera sit retinendum, an accipiendum in spiritu, ut symbolo inuolutum? ex praedicatis iudicatur. Quae si sint talia, ut rei verbo notatae salua Dei decentia attribui non possint, aut in ea non habeant complementum, non potest non de re alia cogitari, in qua enunciationis istius veritas plenissime cernatur. Ipse PAVLVS, cum obseruasset, nonnulla eorum, quae psalmo VIII. de homine ac filio hominis dicuntur, multo esse augustiora, quam ut *ψιλωι ανθρωπωι* possint conuenire, firmiter hinc colligit Hebr. II. 6. ff. Messiam esse intelligendum. Cumque contrarium eius, quod psalmo XVI. 10. legitur, Dauidi euenerit, mortuo quippe, ac sepulto, hinc PETRVS Act. II. 29. non de hoc, sed de Messia valere docet verba psalmi. Eodem modo quae in psalmo II. XXII. XLV. LXIX. LXXII. & in toto SALOMONIS cantico occurrunt, non tam de Dauide capienda esse, vel ipso Salomone, (licet particulae quaedam exiliori sensu iis quodammodo congruere videantur, ) quam de Christo, cuius regni spiritualis illi fuere typi, meridiano sole clarius elucet. Plura huius generis exempla producant, quibus idem obseruatum est, HIERONYMVS (a) & GERHARDVS. (b) Nec aliter Edomum, Aegyptum, Babylonem apud Prophetas aliorum

(a) in c. XXX Es. super verba: *Populus Sion habitabit in Ierusalem,*  
 & alibi passim. (b) de Chiliasmo c. 11, p. 22. f.

drum coetuum emblemata esse cognoscitur, si quae de iis praedicuntur, ita in iis non impleta reperiantur. Vicissim quando praedicatorum sensus examini subiicitur, inquiriturque, an figura sit adumbratus? subiectum respicitur, expenditurque, qualem illud, in sua *σχημα* aut scena praesenti spectatum, patiat, ac ex dicentis aut scribentis scopo admittat significationem? Hinc si reminiscamur, Christum esse, de quo psalmo II. & XLV. dicitur, gentes scepro ferreo confracturum, sagittis acutis confecturum, satis & hic patet, ea non secundum literam, sed secundum spiritum vera esse. Plenae huiusmodi emblemata sunt prophetiae, ut ESAIAE II. 2. XI. 6. 8. XLII. 3. & caeterorum, quae isto ex caractere non dignoscuntur solum, sed & intelliguntur, quemadmodum etiam ex Belgis WITSIVS, (a) TILLIVS (b) alique, satis ostenderunt. Il. totus quoque contextus prophetiae, ad eumque relatio insertarum vocum conducet, si quando sit a litera recedendum, dum caetera vel explicant emblemata, vel ipsa connexion eadem indicant. Sane cum Messias psalmo XXII. inde a v. 12. de hostium suorum violentia conqueritur, non possunt v. 17. proprie intelligi canes, cum hic sit contextus: ad mortem usque doleo, circumstant enim me canes, ceterua me circumvallat improborum, qui mihi manus & pedes perforerunt. Est, quando series rerum, est & quando ordo temporum lucem affundit verbis, prout scilicet ex alterutro pendet prophetia. Es. LIX. 4. ff. scelera percensentur Judaeorum sequiorum, interque ea, quod vi-

pe-  
 (a) de sensu epp. apocalyp. §. 60. & in Oeconomia & Aegyptiacis passim. (b) in Antidoto adversus Joncurt, c. VI. §. 2. §.



perae excludant oua, & aranei texant telas, eoque iniustitiae facinus habeant in manibus, pedibus vero ad malum currant, ad infontem sanguinem effundendum. Nemo non hinc intelligit, oua viperae, & aranei telas emblematicè hic capi. Joel. II. 28. ff. res praedicuntur, se inuicem in diebus Messiae excepturae: effundam Spiritum meum in omne genus hominum; prodigia edam in coelo ac terra, sol in tenebras vertetur, & luna in sanguinem, qui Iehouae nomen inuocauerit, euadet; colligam eo aeuo gentes omnes, & sic porro. Hic solis & lunae obscuratio passim quidem a concionatoribus de signis exponitur ultimi diei, sed Propheta re vera ad diem respicit vastationis Hierosolymae & Judaeae, quam isto emblemate depingit, ut ex contextu FRANZIVS (a) quoque demonstrat. MALACHIAS de eodem diuini iudicii in impios vaticinatus die, piis e contrario oriturum promittit iustitiae solem, qui hinc non potest non emblematicè de Christo, in euangelio splendente, exponi. Cum Es. LXV. 17. nouum coelum promittitur, & noua terra, sequentia probant, istud non ad alteram, sed ad hanc vitam tropice referri. III. loci paralleli & hinc efflorescens harmonia Prophetarum saepius monstrat euidentissime, ubi emblemata habeat locum. Neque enim ipsi solum Prophetae se ipsos explicant, innuuntque emblemata fuisse, ut ESAIAS V. 1. 7. EZECHIEL XVII. 3. ff. 12. ff. ZACHARIAS III. 8. VI. 12. sed & per alios siue in veteri siue in nouo explicantur testamento. Quod IEREMIAS IV. 3. dicit: proscindite vobis noualem, & ne in spinas seminate, id HOSEAS X. 12.

S 2

ita

(a) *de interpret. Script. S. orac. XCVI. p. 907. ff.*



ita effert: seminate vobis ad iustitiam, metite ad pietatem, nouate vobis nouale: nam tempus est quaerendi Iehouam, donec veniat, & vos pluuia iustitiae perfundat, eaque circumscriptione docet emblematicum esse sermonem. Quod ESAIAS XI. 4. de Messia praedicit, terram virga oris sui percussurum, id PAVLVS 2. Theff. II. 8. ita refert: illum sceleratum spiritu oris sui confecturum, eoque ipso dum exponit, emblema esse ostendit. Nec minus, ubi proprietas seruanda fit, ab Apostolis docetur, ut cum Matth. XI. 5. sanatio caecorum & claudorum, Es. XXXV. 5. f. praedicta, proprie, ut sonat, ad Christum refertur. Notabilis in primis locus est Joh. XIX. 36. de osse Christo non frangendo: quod cum non Ex. XII. 46. ut vulgo putatur, sed Ps. XXXIV. 21. praedictum videatur a DAVIDE, proprie & hunc locum intelligendum esse patet. IV. ubi litera fit deserenda, tota fidei analogia fortiter conuincit, non illa, quae huius vel illius opinione, vel plurium doctorum subnitiitur consensione, (errare enim hic omnes possunt,) sed quae perpetua quadam & sibi undiquaque respondente Scripturae Propheticae & Apostolicae de rebus credendis agendisque sententia fundatur, quemadmodum veteres, HVTTERTVS, REBHANIVS, alii descripserunt. Hinc cum ab ESAIA LI. 9. a MARIA, matre Domini Luc. I. 51. brachium Iehouae memoratur, ex constanti Virorum Dei doctrina planum est, emblema hoc esse, non propriam dictionem, cum Deus sit spiritus spiritualemque habeat naturam Ex. XXXIII. 20. Joh. IV. 24. I. Tim. VI. 16. Idem de caeteris omnibus censendum est anthropo-

(a) de D. C. III. 12.



popathiis Prophetarum, quae, quia Scriptura abhorret ab Epicuræis commentis, emblematicè omnia accipi debent, ut cum Deo caput, oculi, nares; adscensus & descensus; dolor & poenitentia & similia attribuantur. Praeterea cum HOSEAS I. 2. iubetur scortum ducere, non hic solum actum secundum literam spectare, nedum credere par est, Prophetam iussum esse scortari. Pulchre AVGVSTINVS: quod in aliis personis, inquit, plerumque flagitium est, in diuina vel prophetica persona magnae cuiusdam rei signum est: alia quippe est in perditis moribus, alia in HOSEAE Prophetæ vaticinatione coniunctio meretricis, emblema nimirum, quo spiritalis Judaeorum adumbratur scortatio, iisque quasi ob oculos clare ponitur, ut recte quoque obseruauit diuus noster LVTHERVS. (a) Sic & cum CHRISTVS Joh. XII. 25. animam suam perdere, PAVLVS vero Col. III. 5. necare iubet sua membra, si non ex ipso contextu, vel inde posset liquere, tropice id dictum, quod detestabilis apud Deum sit *αυτοχειρία*, membrorumque naturalium corporis sui temeraria mutilatio. Eph. V. 29. Videndum est tamen summo studio, num, quae ob tenditur contradictio, vera sit, vel potius in huius vel illius cerebro fundata? Quando enim Scriptura perspicue & dilucide utrumque dicit, tunc etiam utrumque pie credendum, & congrua Scripturae conciliatio quaerenda, vel sapientiae Dei ac potentiae relinquenda. Non possum hoc loco tacere insignem illam Abrahami pietatem, qui, cum Gen. XXI. 12. promissionem stirpis ex Isaaco accepisset, & tamen c. XXII. 2. iuberetur

S 3

macta-

(a) *praef. in Hof.*



maetare Isaacum, & holocaustum Jehouae offerre, credidit simpliciter Deo, & fide resuscitationis mortuorum soluit contradictionem, secumque perpendit, Deum vel a mortuis excitare posse. Hebr. XI. 19. Quae fides merito praedicatur a Prophetis & Apostolis, & a LVTHERO (a) maioribusque nostris (b) celebratur admodum, & in exemplum piis omnibus proponitur. V. denique, ut haec num tandem finiam, ipsa rei euidentia, contrariique palpabilis absurditas adeo manifeste exposcunt a litera recessum, ut, si quis huic affixus haerere velit, non possit non Prophetis fatuos affingere sensus, vel potius se ipsum omnium recte sentientium ludibrio exponere. Neque enim ulla ratione vel probabile videtur, Deum seu in spiritualibus cum fide pugnancia, seu in naturalibus rationi inimica, atque adeo vana, delira, impossibilia, impia patefacere voluisse ac loqui. Quocirca, recte magistri Hebraeorum, nominatim ABENESRA & MAIMONIDES monuerunt, ut, quotiescunque occurrunt in verbis Prophetarum, quae refugiat intellectus, aenigmata esse cogitemus, & parabolicas orationes. Nimum profecto ineptus is foret, qui talia vellet proprie interpretari, ut Gen. XLIX. 14. Cant. I. 10. quasi vero Dan futurus fuerit asinus osseus, Salomaea vero seu ecclesia Christi equa, capistro & habena coercenda. Audiamus exemplum quoque aliud, AVGVSTINI (c) expressum verbis, pulchreque declaratum. *Ait Scriptura Rom. XII. 20. si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si potum sitit, da illi. Hic nullo dubitante beneficentiam praecipit.*  
Sed

(a) l. c. cap. XVI. (b) *Comm. in Genes. b. l.* (c) *Form. concord. in declar. p. 738.*



*Sed quod sequitur, Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius, malevolentiae facinus putes iuberi. Ne igitur dubitaueris, figurate dictum, & cum possis dupliciter interpretari, uno modo ad nocendum, altero ad praestandum, ad beneficentiam te potius charitas reuocet, ut intelligas, carbones ignis esse urentes poenitentiae gemitus, quibus superbia sanatur eius, qui dolet, se inimicum fuisse hominis, a quo eius miseriae subuenitur. Haec fere sunt, quae iam tum veteres prudenti nos consilio monuere: nisi enim euidenter fuerit probatum emblemata, vere est baculus arundineus Aegypti, ut CHEMNITIVS (a) scribit. Vbi vero suppetit istiusmodi euidentis probatio, deserenda est litera, maxime in prophetiis. Der buchstab ist hie nicht zu treiben / inquit SANDHAGENTIVS, (b) als wenn mann deutlich siehet / es sein die worte nicht anders woher entlehnt.*

§. 5. Ac ne incideremus in errorem, qui in hoc genere est admodum periculosus, pulchrum imprimis consideratu est, quam solcite ipsi nobis Prophetarum emblemata quasi signis adhibitis commonstrauerint, cauerintque passim, ne ea proprie acciperemus. Modo enim id adiuncta statim explicatione docuerunt, ut Jer. L. 23. Qui factum, ut elideretur frangereturque malleus orbis? Qui factum, ut in solitudinem redigeretur Babylonia inter gentes? Vbi sane quiuis perspicit, malleum orbis emblemata esse Regis potentis, bello vastantis regiones, & populos plagis percutientis: id quod Ll. 20. ff. ipse Deus signatius declarat. Modo vel una voce

(a) coll. de sensu Script. S. diff. V. §. 2. (b) Erklär. etl. redarten der offenbah. Joh. p. m. 194.





voce adspersa innuerunt, figuratum esse sermonem, ut cum idem JEREMIAS XV. 9. sol eius, inquit, de die occidet: ubi dum solem ad eam nempe Hierosolymam restringit, eiusque praedicit occasum, non se solem intelligere naturalem, supra nos conspicuum in coelo, factis patefacit. Modo talia adnectunt verbis, quae cum iis nequitquam videntur conuenire, ut quasi vi adhibita nos cogant ad agnoscendum emblemata, ut cum ori Christi virgam adsignant Ef. XI. 4. ecclesiae eius capistrum Cant. I. 10. quo in libro multa talia reperiuntur, ne quis litteram solum sequens, ipsum Regem Salomonem cogitet eiusque sponsam terrenam. Cum HABACVCVS II. II. lapides inducit clamantes, nemo, opinor, erit, qui non facile alios intelligat lapides, quam qui proprie sic vocantur. Cum autem ZACHARIAS III. 9. lapidis facit mentionem, super quem unum septem sint oculi, eo ipso quod rem a communi fide adeo refert alienam, emblemata nobis indicat, quod & miratur, & solide ex Theologia Prophetica explicat LV THER VS. (a) Sed ut tanto clarius ratio pateat Prophetarum, en illustre exemplum Apoc. XXI. & XXII. Nihil notius, quam quod haec duo capita interpretes communiter de vita aeterna capiant, & exponant, quod tamen characteres exegetici, a Spiritu S. impressi prophetiae, vetant. Capite XXI. v. 2. videt JOHANNES nouum coelum & nouam terram, sed, quod notare oportet, sine mari, sine sole ac luna, ac nocte v. 23. 25. ac tum quidem videt, cum iam spectasset iudicium magnorum ac paruorum c. XX. V. 2. & 10. Hierosolyma noua de coelo descendit,

ne-

(a) tom. IV. Jen. Germ. f. 276. a, b.



neque adeo est ipsum coelum, aut status beatorum in coelo, insuperque sponsa est Christi, neque adeo beatus sponsae status, vitaque ac habitatio aeterna. V. 6. fitiens memoratur, & v. 7. vincens, qui uterque non in triumphante est ecclesia, sed in militante, ubi fitis est iustitiae, & pugna iugis, ac tum victoria. V. 24. Reges terrarum gloriam suam ac honorem inferre dicuntur in hanc ciuitatem, quod sane non conuenit cum alterius conditione vitae. Capite XXII. 2. arbor vitae laudatur, fructus duodecim ferens singulis mensibus, cuius folia dicuntur ad curationem gentium pertinere. At quis dicet, in vita aeterna gentes fore, & pharmaca ad sanitatem recuperandum idonea? V. 7. 12. & 20. breui venturus dicitur Seruator, qui tamen durante vita aeterna non veniet denuo ad iudicium. V. 17. ipsa sponsa rogat Dominum, vt veniat: quod non necessum ipsi esset, si iam tum felicitate vitae sempiternae frueretur. Ex his itaque omnibus elucet abunde, emblemata esse omnia, quae de miro huius vrbis ornatu, de flumine, de arbore vitae dicuntur, neque ad alteram proprie vitam, sed ad hanc spectare, atque adeo ad illustrandam EZECHIELIS mysticam Hierosolymam ac templum plurimum conferre.

§. 6. Dici autem non potest, quantopere hic communiter a multis in ipso statim limine erretur, & a scopo discedatur Spiritus S. cum eius diuinissima oracula explanant. Eo enim incuria huius doctrinae res deducta est, vt ne discernant quidem saepius emblemata a propriis vocibus: tantum abest, vt intelligant. Quaecunque dicuntur de callido illo oeconomo Luc. XVI. 1. ff.

T

sim-



simpliciter de cuiusuis erga quosuis pauperes misericordia exponunt: quod quam parum conueniat cum CHRISTI mente ac proposito, alibi (a) monstraui. An enim, quaeso, soli iniusti diuites per mortem ab usurpatione bonorum temporalium diuelluntur? an pauperes prae illis Deo sunt obnoxii? an sedes superae eorum sunt quocunque iure propriae? an ipsi eo recipiunt benefactores suos, nec potius Christus? an omnes, quotquot in se fuere liberales, eo recipiunt? an etiam impios? an ergo hi sua munificentia vitam aeternam consequuntur? an precibus commendare beneficentiam eorum est, eos recipere in coelum? an Christus eos, si in se confisi fuerint, non recepturus est, etiamsi absque eiusmodi futurum esset commonitione? an etiam mali quemquam Deo precibus commendant, & in tabernacula recipiunt, in quibus ipsi non habent locum? Tam periculosum est, quae emblematicae dicuntur, proprie interpretari, neglectis regulis emblematici sermonis! Vicissim quaecunque Luc. X. 30. ff. dicuntur de homine incidente in latrones, emblematicae explicant de ecclesiae statu, errore Origeniano, nec recogitant, quod ea ratione circumstantias historicas exempli moralis, quo CHRISTVS docere voluit Pharisaicum, quis esset proximus ipsius, in emblemata transmutando, in ipsam adeo peccent fidei analogiam. Homo, a latronibus semianimis relictus, ipsis est peccator, quasi vero hic semianimis tantum natura, nec potius plane mortuus esset spiritu. Eph. II. 5. Sacerdos & Leuita praetereuntes ipsis sunt Moses cum

(a) *diff. de diuite epulone Luc. XVI. 19. ff. a Christo immisericordiae non accusato S. 4. p. 6. f.*

cum sua lege: quasi vero haec essent adeo maligna, ut feruare hominem possent, nec vellent, nec potius in se sancta essent, ac bona Rom. VII. 7. ff. 1. Tim. I. 8. Samaritanus ipse est Christus: quasi vero elogium hoc esset eo dignum Joh. VIII. 48. & Phariseus illius ad exemplum redimere debuisset hominem, & sanare spiritualiter aegrotantem, vel etiam potuisset, Ps. XLIX. 8. Es. XLIX. 24. Hebr. VII. 26. Quis non videt, Pelagianorum, Antinomistarum & Socinianorum haec placitis accedere, si modo paulo sollicitius inspiciantur. Quare eorum falsitatem ipsis iam Laicis ad ruborem Postillatorum vernaculo sermone patefecit MVLLERVS, (a) & qui hac occasione praeposterum allegoriarum studium acriter perstrinxit, DANNHAVERVS. (b) Wird/inquit, zur erinnerung und cautel gesagt unsern Studiosis Theologiae, daß sie i. denn Postillen nicht zu wol trauen/die in diesem stück fast insgemein einen fehler begangen/ sondern recht kennhafte schrifften/ sonderlich Chemnitzens/ (c) Winkelmanns/ (d) u. d. gl. aufschlagen/ da werden sie ein anders finden. Wer hie allegorisiren will/die mögens wol thun/ doch der glaubens-regel ohne schaden: Christi zweck sei dahin nicht gegangen; der buchstaben verstand sei der beste. 2. sich nicht zu viel verlieben in die schöne meße der allegorien\*/ sondern den buchstäblichen verstand vor al-

T 2

len

(a) in Erquickstunden part. II. num. 66. (b) in Memoriali eu. p. 666. ff. (c) Harm. euangel. t. CV. p. 1504. (d) ad Luc. X. p. 605. \* Quod si praeter ea, quae de argumento certo ex contextu obseruamus, dicendum sit aliquid, esto miser ille populus Judaicus, afflictus sane, ac fere exanimatus: sed Samaritanus non iam Christus, sed gentium turba, Iudaeos, Mammonae suo destitutos in sua tabernacula receptura. Luc. XVI. 9.



len fassen/ und damit den grund der erklärang legen. 3. sich für die *anpessan* hüten/ damit sie nicht ohne verstand und reiffes nachdencken roh dahin quid pro quo nehmen/ und rips raps zusammen rapseln / was sie in büchern antreffen : sondern mit mehrer accuration und sorgfalt concipiren und verrichten. Summa : die ungeschickte einfalt nicht denn leuten als eine göttliche einfalt verkauffen. Hoc ipsum quoque est, quod ABENESRA suadet suis, ut accurate trutinent contextum, & iudicium adhibeant, quod fit quasi nuncius vel interpres diuinæ voluntatis, atque homini propterea dono datum, addo, quod & ab ipso Spiritu S. per Scripturam illustretur. Quare enim, inquit, extra casum necessitatis verteremus aperta in abscondita, luci que tenebras ultro & petulanter offunderemus? Quod si euitauerimus vitium, filumque secuti fuerimus Spiritus S. non attrectabimus ut caeci parietem, nec tanquam oculis carentes palpabimus, in meridie quasi in crepusculo impingentes. Es. LIX. 10. ut vulgo saepe fieri videmus, ac dolemus. Quam enim in orationibus integris, eandem in singulis quoque vocibus subinde adpersis deprehendimus aberrationem non fieri solum, sed acriter etiam defendi. Generationem Filii Dei Ps. II. 7. proprie explicant, quam emblematicè de resurrectione eius capiendam, ipse nos PAVLVS Act. XIII. 32. ff. docet, & post antiquos Patres e nostratibus Theologis BVGENHAGIVS, (a) GESNERVS, (b) HEMMINGIVS, (c) alii que viderunt. Quod quam longe absit, si rite modo explicetur,

\* Simile est Lutheri in Gen. XXX. (a) *comm.* in h. l. p. 14. ed. in IV, (b) *comm.* in h. l. p. 22. (c) p. 34. ff.



tur, a dogmate Sociniano, quod amans Christi & veritatis merito auersatur, FEVRBORNIVS (a) ipseque CALOVIUS (b) iam agnouerunt. Sed quotiescunque inquit, verbum לֵי absolute de persona generante, personam praedicatur, constanter generationem ex alterius essentia denotat. Atqui Deut. XXXII. 18. ita de Deo praedicatur, generante Israelem. Ideone vero generatio Israelis ex Dei essentia innuitur? Tantum refert, emblemata prophetiae discernere a proprietate historiae, in qua sola ille SCHERZERI (c) canon valet. Probetur ergo hoc dogma ex aliis locis, ex Pf. LXXII. 17. ex Mich. V. 1. ex Col. I. 15. ex quibus Theologi satis solide atque perspicue demonstrant, Christum a Patre ab aeterno genitum esse ante omnem omnino creaturam: quae generatio ipsa quoque notione Filii in hoc DAVIDIS psalmo stabilitur. Contra 1. Petr. III. 19. mirum quam faciles plerique sint in tropo affingendo notioni praedicationis, quia pro certo ponunt, ibi descensum Christi ad inferos describi: quod multo fecus habere, vel apud BRENTIVM, (d) GERHARDVM, (e) REINBOETHIVM (f) videre licet. Sed de his aliisque similibus plura dicemus, cum errores communes, a veteribus ecclesiae nostrae doctoribus dudum obseruatos, ex promisso disputationibus exhibebimus ventilandos.

§. 7. Jam si vel maxime agnitum fuerit emblemata,

T 3

(a) in exeg. Ael. part. 1. ad c. XIII. 33. (b) Bibl. illustr. in h. l. p. 940. (c) Coll. Antisoc. disp. XV. p. 134. (d) in explic. Catech. p. 164. ff. (e) comm. in b. l. (f) in apolog. contra Danh. p. 233. ff.



ma, dici tamen non potest, quantopere saepius in eius erretur explicacione, dum qui efferendus inde foret sensus, illuc infertur ab interprete. Hic enim audito vocum sono, ubi vel leuis quaedam ratiuncula succurrit, quae ad blandiatur forte imaginationi, ex ea statim facit comparationem, cum potius usum Scripturae sequi deberet, ut normam. Et sunt, qui intrusum istiusmodi significatum, si non tueantur, excusent tamen, modo sit fidei analogus: quasi vero hoc sufficeret, nec praeterea requireretur, ut & contextui analogus sit Scripturae. Sane cum Scriptura praebeat fidei fundamentum, regulamque praescribat, intelligere non possum, qui fidem minus liceat temerare, quam Scripturam. Alii, quae subordinari posse sensui, aut ex eo colligi videntur, adsuunt non secus, ac lacinias pulchrae vesti. Sed unus est verus ac germanus quouis loco dictionis emblematicae significatus: hunc puto omni studio indagandum, & quod cum hoc non conuenit, repudiandum esse. Nemo non potest emblemata agnoscere in eo, quod se CHRISTVS apud ESAIAM LXIII. 3. torcular dicit calcasse solum: sed hoc de cruenta eius plerumque explicant passione, qua placauit iram Dei. Quomodo autem hoc conuenit emblemati? Nunquam hoc pressuram denotat calcantis, sed ultionem & cladem eius, qui calcatur, ut dudum HIERONYMVS, & THEODORETVS, & diuus obseruauit LV THERVS. Qui uti in hoc genere est plane eximius, ita istam quoque imaginem felicissime omnium ex mente Vatis de ultima accepit incredulae ac rebellis synagogae vastatione, a Christo, iam Rege ac victore, facienda: (a) ut mirer, hic cunctos fere

(a) *Comm. in h. l.*



fere Lutheranos LVTHERVVM deferere. FLACIVS  
 (a) quoque notavit, liberationem ecclesiae calcatis ho-  
 stibus intelligi, ut apud JEREMIAM Thren. I. 15. Flu-  
 ctuat GVRTLERVS: (b) sed non nisi ob autoritatem  
 COCCEII, qui hic cum vulgo interpretum consentit.  
 E nostris LOESCHERVS (c) coniungit hos duos signi-  
 ficatus, passionis & ultionis, qui licet connexi sint inui-  
 cem, cum altera sit alterius fundamentum, uno tamen  
 loco simul obtinere haut possunt. Liberior paulo DV-  
 RERVVS: (d) daß zwar / inquit, dieser locus Esaiã in  
 denen postillen und predigten insgemein auf Christi leiden  
 gedeutet wird / ist bekant / aber auch dabei gewiß / daß  
 es ganz ungereimt / und ohne nachdencken geschehe. Es  
 gibts ja der klare augenschein / daß allhier der Heiland  
 nicht werde aufgeföhret im stande seiner niedrigkeit / als  
 leidende: sondern im stande seiner hoheit / als herrschen-  
 de / und in seinem zorn die vöcker zutretende: wie er  
 denn Offenb. XIX. 15. gesagt wird die kelter des grimmig-  
 en zorns Gottes zutreten / indem er seine feinde zu bo-  
 den schlägt / und die äußerste rache an ihnen verübet Sub-  
 oluerat haec quoque veritas GERHARDO (e) & WIN-  
 CKELMANNO, (f) cui demonstrandae non opus est  
 immorari, cum ferias nobis fecerit TARNOVIVS, (g)  
 aduersus turbam tanto eam fortius defendens, quanto  
 Scripturis nititur certius. Euoluamus unum JOELEM  
 III. 13. ff. & totam prophetiae catenam vel eminus vi-  
 deamus.

(a) in Clave Script. parte I voce torcular. (b) in Explic. vo-  
 eum typico-proph. voce Bozra. (c) Decim. euang. dec. XXIX. p.  
 274. ff. (d) Geh. des reichs Christi p. 689. f. (e) comm. in h.  
 l. (f) in h. l. (g) Exerc. Bibl. p. 418. ff.





deamus. Alloquitur JEHOVAH gentes, ut conueniant undique ad bellum, aduersus hostes suos Judaeos gerendum, & classium veluti canit. *Adeste, inquit, descende: nam refertum est torcular, eiusque lacus perfundunt plateas: tanta est improbitas eorum. Turbae, turbae in valle concisionis: nam propinquat dies Jehouae in valle concisionis. Sol & luna obscurabuntur, & stellae retrahent splendorem suum, cum Jehouah rugiet ex Zione, & ex Hierosolyma sonitum edet, commouebiturque coelum & terra: quo tamen tempore Jehouah suis erit tutus receptus, & vere Israelitis firmamentum.* Haec omnia interpretanda esse de hostibus, Judaeam vastaturis, non oscitanti lectori facilimum erit colligere ex toto totius JOELIS contextu diligenter aestimato in hunc modum, inquit FRANZIVS. (a) Conferatur Apoc. XIV. 19. f. nec quicquam dubii supererit.

§. 8. Proclive hinc est definire, num Theologia parabolica vel emblematica argumentatiua sit, nec ne? Quidni enim emblemata aut emblematici sermones, de quorum scopo, significatu ac sensu certo constat, aequae firmas pariant demonstrationes, ac voces orationesque propriae? quod & GLASSIVS, (b) & PFEIFFERVS (c) & alii ostendunt. Quam, quaeso, solide LVTHERVS (d) totam piorum conditionem, officia, fata ex notione palmitum Joh. XV. 1. ff. deducit! Quam argute KOENIGIVS (e) ex poena serui illius parabolici Matth. XVIII. 32. colligit, Deum ab iis, qui relapsi fuerint in peccata, rursus exigere, quod prius erat remissum! Quam ve-

re

(a) *de interpret. Script. orac. XCVI.* (b) *Philol. S. lib. II. p. m. 349.* (c) *Thef. Herm. p. 183. f.* (d) *tom. VII. Jen. Germ. f. 133 b. ff.* (e) *Vindic. S. disp. XXX. p. 582,*



re PFEIFFERVS (a) ex parabola de operariis in vinea Matth. XX. 1. ff. argumentatur, opera nostra nil mereri! Quid? quod ipsi quoque Apostoli ex emblematicis Vatum oraculis validissimas arcessunt probationes. PAVLVS Act. XIII. 32. f. ex generatione Filii Dei Ps. II. 7. praedicta ostendit, quod maioribus promiserat Deus, hoc posteris eorum praestitisse, fuscitato Jesu. Qui enim hic GATAKERI aliorumque *εὐρημα* secuti, in voce *ανασησας* tricantur, nodum in scirpo quaerunt, cum & contextus inde a. v. 30. & historia satis persuadeant, nullam aliam *ανασησιν* designari, quam qua demum demonstratus est mundo ignoranti promissus vindex. 1. Cor. II. 8. Quod autem v. 34. f. demum de resuscitatione Christi ex Ef. LV. 3. & Ps. XVI. 10. sermonem institui aiunt, de nihilo est. Dixerat PAVLVS v. 33. promissum adimplesse Deum fuscitato Jesu: iam v. 34. f. docet, ita eum fuscitasse Deum, ut non amplius reuerfurus sit in sepulchrum. Quin uno in versu Rom. IX. 33. ex duobus simul emblematicis ratiocinatur prophetiis, nempe ex Ef. VIII. 14. & XXVIII. 10. Rom. XV. 12. ex Ef. XI. 10. Hebr. XII. 26. ex Hagg. II. 7. Cum autem in Theologorum scholis Theologiam parabolicam negant esse argumentatiuam, de expositionibus loquuntur illatis, extortis & alienis: qualis eius fuit apud PFEIFFERVM, (a) qui in parabola de homine in latrones incidente Luc. X. 34. iumentum, cui Samaritanus imposuit vulneratum, absurde intellexit de Spiritu S. ob Ps. CXLIII. 10. Joh. XVI. 13. Multae eiusmodi apud Pontificios notatae

V

tatae

(a) l. c. p. 184.



tatae sunt a noſtratibus , LVTHERO, (a) WAL-  
 THERO, (b) CHEMNITIO, (c) & aliis. Audiamus,  
 quid eorum aliqui commentati ſint ad parabolam de ho-  
 mine peregre profecturo Marc. XIII. 34. *Homo peregre  
 profectus ſignificat animam, quae per mortem ex hoc mundo  
 migrat. Ille ſeruis reliquit ſuam poteſtatem, hoc eſt, testamen-  
 tarius ſuis mandavit, ut ex relictis bonis redimant ſuffragia,  
 quibus ex purgatorio liberetur. Janitori vero praecepit, ut vi-  
 gilet, hoc eſt, Paſtori ſuo legavit partem bonorum, ut vigilanter  
 pro ipſo ſacrificet.* Sed quis iſtiusmodi nugae, a prophe-  
 phetiae ſcopo fideique analogia plane alienas, titulo di-  
 gnabitur emblematicae vel parabolicae Theologiae?  
 quae ſi vere eſt talis, utique eſt argumentatiua. Ut  
 enim nemo affirmauerit, ex commentis hominum fi-  
 dem probari, ita viciffim nemo iuerit inſitias, recte id  
 fieri ex oraculis Dei, ſignificatibusque & ſenſibus, a Spi-  
 ritu S. ſiue proprie ſiue emblematicae expreſſis.



§. 9. Hic itaque ne feramur in deuia, ac tuto u-  
 bique progrediamur, pro fundamento primum eſt te-  
 nendum, emblematum aequae, ac propriarum vocum,  
 certos eſſe ſignificatus, non in imaginatione interpre-  
 tis, ſed in ipſarum rerum inuicem comparatarum in-  
 dole ſeu natura, ſanctique Spiritus & Prophetarum ar-  
 bitratu fundatos. Partim enim ſymbolice uſurpantur  
 in Scriptura, prout aliquam rei designatae cum re voce  
 expreſſa ſimilitudinem inuoluunt, ut cum regnum vo-  
 catur mare, quia in illo multi populi inſtar aquarum  
 confluerunt. Partim & hieroglyphice adhibentur,  
 prout

(a) tom. II. Jen. Germ. f. 506. IV. f. 189. a. praef in Ezech.  
 (b) praef. ad Harm. Bibl. (c) Exam. Concil, Trid. part. III. c. de  
 purg. p. m. 212. & alibi paſſim.

prout ex instituto rem definitam denotant, siue ratio conueniendi adfit, siue non, ut cum sceptrum & cornu \* regiam potestatem, aurum denotat fidem salutarem. Quarum notionum si vel maxime ratio non appareat, sufficit, quod ex instituto Vatum Hebraeorum regnum ac fidem, nil aliud, significant. Quo pacto nullus humanis inuentionibus aut opinionibus propriis superest locus, quae varietate sua dubios reddere possint istiusmodi vocabulorum significatus, ac vagos. Neque tamen datur fere emblemata, cuius cum re adumbrata nexus non facile pateat sollicitius scrutanti: quandoquidem eo imprimis comparata sunt a Deo eiusque Prophetis hae quasi pantarbae, ut plenius singula clariusque ob oculos ponant corpore mersis, si modo animum aduertant. Vnde fieri saepius potest, ut, ubi verum est symbolum, merum tantum hieroglyphicum putetur esse, & ex libera impositione, non ratione rei inditum. Cur aries apud Hebraeos Ezech. XXXIV. 17. Dan. VIII. 5. ff. Zach. X. 3. & Aegyptios (a) belli ducem aut antistitem figuret? ambigas forte primum. At mox ratio succurret, quia aries est animal cornibus potens, gregemque antecedit. Quae ratio si vel maxime absit, a-

V 2

ries

\* Vt sceptrum, sic & cornua antiquitus regiae insignis dignitatis ob robur, ut apud Danielelem passim, apud Plutarchum de Pyrrho loquentem, & Virgilium Aen. XII. Hinc multi olim dii deaeque, ut Astarte Syrorum, Diana & aliae cum cornibus pingebantur, quibus non tam luna bicornis aut aliud simile exprimebatur, sed ipsum regni symbolum: post tauros enim sola stemmatibus cornua remanserunt, ut docet Bolduc. de Ogg. Christ. tract. II. 5. p. 111. & Moeb. de orac. ethn. c. II. p. 21. Vid. Es. XXXIV. 7. ubi pro  unicornes, Gualdaeus habet  dynastiae. (a) Pier. hierogl. III. 1. X. 3.



ries tamen, uti dixi, dux belli ac antistes est. Cur autem apud ESAIAM LX. 7. arietes notant pios? Ratio denuo est in promptu, quia id animal in sacrificiis Deo fuit offerri, apteque adeo pingere potuit victimas spirituales. Rom. XII. 1. Neque enim ex natura solum, sed & ex ritibus Hebraeorum sacris vel civilibus, ex conditione hominum, ex constitutione temporum, ex situ locorum, imo ex ipso sono literarum ratio petita conueniendi, ut iam tum LVTHERVS (a) quoque probe aduertit. Quo ex fundamento etsi magna est praestantia emblematum prophetorum prae hieroglyphicis Aegyptiorum, quorum saepe friuola, superstitiosa, aut impia, saepe etiam nulla est ratio, ut vel ex HORO intelligitur: nonnullus tamen inter utraque reperitur consensus, qui de recepto symbolorum ad orientem testatur usu. Aquila, quia caeteris auibus volatu altior est ac metuenda, Regem in ciuium errata ferarum & apud Aegyptios denotat teste HORO, (b) & apud Hebraeos, interprete ipso DEO Ezech. XVII. 3. 12. qui & rationem emblematis declarat Jer. XLVIII. 40. XLIX. 16. 22. Hab. I. 8. Haec vera & certa est aquilae significatio raptoris, cum furculum decerpit, cum inuolat, in terram, & cadaveri imminet, ut illud genus, quod *υπαιετον* appellant. Neque adeo Matth. XXIV. 28. aquilas ad cadaver congregatas vel electos Christi cum COCCEIO, vel ipsum Christum ex pane factum interpretatus fuero cum MELCHIORE. Ros coelo fusus doctrinam & Hebraeis significat Deut. XXXII. 2. 2. Sam. XXIII. 4. Ps. LXXII. 5. Ezech. XXI. 2. Am. VII. 16. Hof.

(a) *rom. III. f. 247. a. IV. f. 124. a.* (b) *Hierogl. II. 53.*



Hof. VI. 3. & Aegyptiis (a) eo, quod ros eas tantum molliat plantas, quae natura ad hoc sunt idoneae, quae & ratio est doctrinae, ut EVCHERIVS quoque notat, in libro formularum spiritualis intelligentiae, (b) eleganti admodum, nisi quod in eo saeculi sui vitio suae, saepe imaginationi plus iusto indulget. Plura huius generis exempla autor cumulat corporis Theologiae, (c) qui HERM. DEVSINGIVS creditus adhuc fuit, cui tamen equidem non temere crediderim, mystica illa Aegyptiorum sacra mysteriorum Mosaicorum & Propheti-  
corum occasiones fuisse, quibus Deus voluerit suos ab Aegyptiaco idolorum cultu ad se attrahere. Multo enim antiquior hic fuit mos loquendi, a primis Hebraeorum patribus varie cultus Gen. XXXVII. 7. ff. XL. 9. ff. XLI. 1. ff. & ab his latius ad Chananaeos, ad Bileamum Num. XXIV. 5. ff. temporisque successu ad Aethiopes, Arabes, Persas, Syros, Indos, Chineses, ipsos Scythas, & qui ab his didicere, profectio-  
nibus institutis, diffusus. Fuitque adeo ad orientem omnibus quasi natiuus is genius, ut praegnantia mysteriis stylo sua obuelarent, cui se ita accommodavit Scriptura S. ne, ut recte HVETIVS (a) obseruat, vel simplicitati eius ac veritati, vel sanctitati etiam aliquid decederet. Quod ipsum mihi persuadet, non facile eorum quemquam, eruditorum imprimis, fuisse, qui non emblematum nouisset certos sensus, totque hominum, imo populorum consensu usuque receptos significatus. Stella Regem & Deum, Regem omnium, notabat BILEAMO Num. XXIV. 17. Aegy-

V 3

ptiis

(a) *Hor. Hierogl. l. 35.* (b) *l. 2.* (c) *§. 32. p. 153. f.* (d) *lib. de orig. fabular. Romanens.*



ptiis apud HORVM, (a) ESAIAE XIV. 12. aduersus Babylonem vaticinanti, Poetis quoque, ut VIRGILIO: (b) ut apud veteres nihil fuerit notius. Sed & angelos stellae Job. XXXVIII. 7. & doctores Es. XIII. 10. & alia significant in sacris, & in uniuersum unum emblemata multa saepe plane diuersa notat, atque adeo opposita, ut leo mox Christum Apoc. V. 5. mox impium 2. Tim. IV. 17. & alia apud GLASSIVM. (c) Hinc tamen si quis incertius nil dicat emblematis esse, nae is valde praecipitauerit iudicium suum. Eadem enim & propriarum ratio est vocum, ut extra contextum consideratae varios admittant significatus, quorum tamen non nisi unum habent intra contextum. Taurus vel hominem vel animal, vel montem significare potest, & sunt huiusmodi innumera, a lexicorum scriptoribus adnotata. Quidni igitur & emblematicae voces patiantur multos sensus, & unum tamen tantum obtineant in singulis locis? Id autem iis maxime accidit, quarum significata in sua natura ac indole varias habent rationes, ob quas cum aliis aliisque rebus componi possint, ac comparari. Exempli causa lapides, quatenus impediunt prouentum agrorum, impedimentorum fidei ac pietatis ut Es. V. 2. quatenus definiunt limites & circumscribunt, sanctorum rei publicae ut Eccl. X. 9. quatenus fulciunt aedes, Regum, ut Es. XIX. 13. atque adeo Dei & Christi, ut Ps. CXVIII. 22. quatenus supra fundamentum constituunt parietes & domum, ciuium regni, ut Hab. III. 11. sicque & piorum Dei ciuium, ut Ps. CII. 15. quatenus denique

vilio-  
 (a) Hieroglyph. II. 42. (b) Aeneid. VIII. (c) Rhetor. S. p. m; 1113. 6

viliores sunt ferro, ut aes auro, minorum Spiritus S. donorum emblemata sunt, ut Es. LX. 17. Cum autem ubique rem unam tantum significant, non plures, quiuis videt, si modo diuersa ratio comparationis uniuersae, ac tum speciatim in singulis locis contextus inspiciatur, cui nonnisi una notio, una ex istis rationibus comparationis subnixae, conuenit, certum adhuc esse significatum. Quod si quis porro varietatem obiiciat sententiarum, quas adhuc interpretes fouerunt, miror sane, non diligentius a populis ad orientem caeteros, & a priscis temporibus distinguit sequiora, quibus deflexum est ab antiqua ratione dicendi. Quae olim perspicua erant Hebraeis, nunc obscura sunt nobis Germanis, Graece ac Latine eruditis, ac Scholasticae Philosophiae, Theologiae, dictioni adsuetis, nec in hoc genere literarum admodum versatis. Si id autem omni modo labore ac studio agamus, ut quid de iis ad orientem quondam creditum fuit, ex monumentis antiquitatum cum sacris probe collatis eruantur indices magis, atque obsoletae fere & oblitae significationes nobis restituantur, etiam hoc obstaculum sublatum erit. Viam sane dudum nostri nobis maiores praeiuerunt, praeeruntque hodie exteri, in iisque praecipue Belgae. Qui cum hinc inde aberrant saepius a scopo, magis nempe sui cerebri commentis, quam veteris aevi documentis confisi, non defuerunt etiam e nostratibus, qui haec curatius introspicere studerent & discernere. Quae autem nihilominus adhuc remanserunt dubitationi obnoxiae, si non pariant errores contra veritatem historiae aut fidei analogiam, ea inter problemata merito relinquuntur, quae  
dies,



dies, studiorum profectus ac inprimis Spiritus Dei dono lucis posthac patefaciet. Quare non incertum ea reddunt emblematicum studium, sed nostram accendunt industriam, ut nostrum cum aliis sociemus laborem, & nos ad opus quantocius accingamus.

§. 10. Modum rationemque si nosse cupimus, quae omnium rectissime emblemata euoluantur, hanc post LVTHERVVM & FLACIVM uno nobis ore WALTHERVS (a) & BALDVINVS (b) indicabunt, docebuntque, quod vel ex natura linguae propheticae, quae a teneris addiscenda fuerit, quando nos scilicet vocabulis metaphysicis Scholasticorum sumus occupati, vel ex historiis illorum temporum, quae indagandae, vel ex parallelis similibusque locis, qui conferendi, vel denique ab ipsa fidei analogia lucem acquirant. Quin & exempla ex Prophetis substernunt veteris testamenti, quorum haec duo saltem apponam. Quid sit Onus Domini, quid & stillare, nemo capit, qui phrasin illorum temporum ignorat, ubi vel plagae vel minae Domini onus & stillicidia appellabantur, ut apud JEREMIAM XXIII. 34. & MICHAM II. 6. f. Quid sit illud MALACHIAEI. II. ubique locorum suffitus nomini meo afferetur, fertumque purum, sine interpretatione PAVLI Rom. XV. 16. vix intelligitur, qui oblationem illam de cultu Christianorum & praedicatione evangelii in uniuerso mundo exponit. Quid hic GERHARDVS praestiterit, alias est visum. Horum itaque vestigiis insistens pie defunctus SANDHAGENIVS quon-

dama

(a) *Offic. Bibl. p. m. 1011.* (b) *Id. dispos. Bibl. c. XI. p. 141.*



dam noster (a) ulterius produxit opus, & regulis quinque expediuit negotium, quas exemplis illustravit ex Vate noui testamenti, JOHANNE. I attende ad explicationes, quas ipse Spiritus S. Spiritus ille veritatis, & quasi digitus Dei, more suo, ab HIERONYMO (b), quoque obseruato, vel loco praesenti, vel aliis dedit locis, ut: septem stellae angeli sunt septem ecclesiarum, seu doctores Apoc. I. 20. ut ex DANIELE XII. 3. & JVDA ep. v. 13. etiam constat. II. ex his, tanquam notis, ignotos plurimum notionum significatus iusta ratiocinatione collige, quod nostro labore fieri posse, AVGVSTINVS (c) admonuerat. Si itaque stellae sunt doctores, siue veri siue falsi, sol verus erit Deus & Christus, magnus ille Propheta, ut apud MALACHIAM IV. 2. Apoc. XXI. 23. & falsus ei oppositus, ut apud ESAIAM XXIV. 23. Pontifex suae ecclesiae Antichristianus, qualis post aduentum Seruatoris Hebraeus fuit, & deinde Romanus, coelum autem ecclesia erit, quod apud eundem XXXIV. 4. instar libri complicatum iri in Edomaeis, praedicatur. III. aduerte ad ea, quae rebus tribuuntur, & has inde dignosce, eque praedicatis iudica de subiecto. Cum itaque sub sexto sigillo Apoc. VI. 13. 16. s. occurrant stellae, quae ob iram agni loco suo motae in terram dicuntur decidisse, velut grossi, vehementi decussae vento: facile percipitur, falsos innui doctores, quales adhuc sunt eruntque sub Antichristo Romano. Vicissim & ex subiecto iudica de praedicatis, ut cum Christus in sua ma-

X

nu

(a) in epist. ad Elisab. Abbatiss. Herford. subiuncta isagogae ad Hist. Christi & Apost. p. 194. ff. (b) in Ej. XIX. lib. V. comm. (c) de C. D. XX. 17.



in dextra septem stellas dicitur habere Apoc. I. 16. II. 1. III. 1. Sed IV. etiam Prophetas confer cum Prophetis, ut ipsi Apostoli suas vaticinationes vaticinationibus veterum Prophetarum modo confirmarunt, modo illustrarunt, ipsissimisque eorundem verbis nonnunquam expresserunt. Qui cum passim procerum tam sacrorum quam civilium ruinam, ut casum proposuerint stellarum, ut fecit ESAIAS XIII. 10. DANIEL VIII. 10. JOEL II. 10. III. 14. & caeteri apud MAIMONIDEM, (a) tanto minus hic dubii est superfuturum. V. ut ipsam rerum, istis emblematis denotatarum, natura seriesque accurate cognoscatur, idcirco observata ex contextu temporis ratione istis cum imaginibus, compara euentum, in historia expositum, quod etiam L V T H E R I (b) aliorumque plurium consilium fuit prorsus salutare: complementum enim, ut loquitur FINCKIVS, (c) est optima prophetiae interpretatio. Qua sine dubio ratione inductus BARTHOL. RADMANNVS iam tum altero superioris saeculi anno Lipsiae luculentam edidit collationem praedictionis & euentus vaticinationum, diuinarum, sex libris comprehensam, sed ob praematuram mortem ad finem non perductam. Idem nouissime in Apocalypsi post HOFMANNVM, qui viam praeiuit, HEVNISCHIVS, BRVNSMANNVS, DVRRERVS tentarunt, eoque pacto plurima emblemata, antea non ita perspecta, feliciter exposuerunt. Quo eodem si & nos utamur clauē, multo dilucidius apparebit, quod uti Luc. XXI. 25. stellae sunt antistites Hebraei, ita

(a) *More Nebuch. II. 29.* (b) *praef. in Dan. & Apoc.* (c) *Clau. Script. c. VIII. p. 58.*



ita eadem Apoc. VI. 13. sacerdotes sint Romani, seu Romano subiecti Antichristo. Haec itaque cum satis prudenter praecepta fuerint, ampliterque explicata, non nisi aliquot subiiciam ex ipsa lectione Prophetarum ac usu depromptas necessarias admonitiones. *Mature itaque intellectum emblematum prophetarum tenta*, eoque consilio in tempore Prophetas tibi lectione quotidiana redde familiares, quo ipsorum linguae ac stylo adfuefias, nec seum ex Romana vel vernacula metiaris loquendi ratione. Semel lectus liber textus, bis lectus obseruationum instar, ter saepiusque lectus iusti vice commentarii erit. Quod si non intelligas statim capita priora, non seponendus ideo est liber, sed ulterius pergere oportet legendo, eo quod Vates in iis, quae sequuntur, se ipsam explanet, & ipsa lectione perspicuus nobis fiat. Neque enim de industria obscuri suat Prophetae, vt HERACLITVS apud Graecos, ARISTOTELI ideo *σκοτεινός* appellatus, PYTHAGORAS item & symbolicae cultores Philosophiae, & apud Romanos PERSIVS, ab HIERONYMO id propter abiectus. Quin potius in rebus ad fidem & vitam spectantibus, pro ratione istius aevi ac gentis, euidetiae studuerunt, in caeteris autem multa quidem obfignata reliquerunt, posteris ex euentu intelligenda Dan. XII. 4. sed plurima tamen quoque, quorum tum necessaria erat notitia, in aprico posuerunt: unde & eorum sermonem PETRVS 2. ep. I. 19. lucernae comparat, lucenti in loco obscuro, donec dies illucesceret. Ipse EZECHIEL, adeo sectator emblematum, vt vulgo *משל משל* XX. 49. vocaretur, quam manifeste eo ipso, quo de hoc conqueritur nomine sibi indi-



ro XXI. 1. ff. & XVII. 3. ff. 12. ff. diuinitus iussus sese explicat ! Quod autem unus non ita liquide exponit , id alter explanat, mirandaque etiam hic est prouidentia diuina, quod quo propius singuli ad aetatem descenderunt Messiae, eo clarius distinctiusque paulatim res eius quasi enarrauerint , donec DANIEL IX. 24. ff. hebdomadae dierum propheticas computaret , & MALACHIAS, prophetico lumine collustratus, praeunte Elia altero Legatum foederis iam cerneret spiritu aduentantem. III. 1. ff. *Caue deinde, ne ab instituto recedas Prophetarum*, tam in intelligendis, quam interpretandis eorum oraculis : in quibus si tuis obsecutus fueris cogitatis , tuam, non Prophetae, habebis & expones mentem. Hic autem triplex admitti potest error, primum in similitudine , deinde in re assimilata, denique in ratione similitudinis euoluenda. Jud. v. 13. non stellae errantes, quas nominant planetas, sed ignes fatui, veteribus quoque Graecis stellae vocati , vt emblemata proponuntur falsorum doctorum, qui illis ob speciem, leuitatem, & noxam, quam adferunt animabus, similes habentur , vt BRVNSMANNVS (a) pulchre demonstrauit. Es. XIV. 12. lucifer coelo lapsus non diabolum, ut multi exposuerunt, Pontificii inprimis, sed Regem signat Babyloniorum, quod pridem LVTHERVS (b) & FRANZIVS (c) ex ipso ostenderunt contextu. Debet igitur, inquit LVTHERVS, tam insignis error totius Papatus, qui hunc textum de casu angelorum accepit, studia literarum & artium dicendi commendare, tanquam res Theologo

(a) *Gratia naturae interpret* V. 35. p. 486. ff. (b) *Comm. in ten. I. & Es. XIV.* (c) *de interpret. Script. S. orac. XCIV.*



maxime necessarias ad tractationem sacrarum literarum. Ezech. XVII. 3. Rex Babylonius aquila vocatur, non ob visus acrimoniam, sagacitatemque naturalem, ob certationem cum draconibus, pullorum institutionem, & similia, quae de aquila Physici docent: neque enim harum rationum vestigia reperio apud Prophetas, sed ob celsitatem, & in hostiles terras festinationem: ita enim HABACVCVS I. 8. JEREMIAS XLVIII. 40. XLIX. 16. 22. & ipse CHRISTVS Matth. XXIV. 28. docent. Caeteras rationes expendere quidem nonnunquam iuvat, sed non licet certo interpreti esse, num ad eas respexerit quoque Propheta: adeoque praecipua haec esse debeat cura, non ut cum Allegoristis cumulemus rationes conueniendi, sed ut veram rationem conueniendi indagemus. Ultra quam ne progrediamur, ipsa nonnunquam euentia contrariique falsitas & absurditas nos cogit, ut cum Christus Apoc. III. 3. XVI. 15. dicitur furis instar aduenturus, ratione propositi iniusti, quemadmodum & Luc. XVI. 1. versutus ille oeconomus non ob iniquitatem, sed ob calliditatem imago est piorum sub finem veteris oeconomiae, ut ex hortatione inde collecta v. 9. patet. At hic modo fingitur emblemata, quod non adest, ac saepe ne in mundo quidem existit, ut phoenix Ps. XCII. 12. ubi intelligendum esse Phoenicem arborem seu palmam, BOCHARTVS (a) ostendit; modo falso de re alia explicatur, quam de qua cogitavit Propheta, ut sagittae Ps. XLV. 6. de verbo Christi, quas ad plagas poenasque a Christo inflictas rebellibus pertinere, ipse docet DAVID Ps. VII. 14.

X 3

XXXVIII.

(a) Hieroz. part. post. p. 817.



XXXVIII. 3. LXIV. 8. CXLIV. 6. modo alia ratio comparandi indicatur, quam quae in animo fuit Prophetæ, ut cum Christus ad Pf. XXII. 7. vermis dicitur ob oleum, quod fundat instar vermis Indici apud AELIANVM, (a) & ob usum, quod eo Satan velut piscis fit captus: qualia ne in mentem quidem venisse Vati, ex ipso liquidum est contextu. Neque tamen propterea diuersitatem respectuum in uno emblemate promiscue reiicio, sed tantum ea admisceri nolo, quae plane abluunt a genio Prophetarum, & ab harmonia prophetiæ, ne magis interpretis sensa, quam Prophetarum discantur. Primum itaque eae rationes euoluantur, quas emblemata habent in contextu, deinde & caeterae aduocentur, in Prophetis sparsae, & sic multitudo sanctarum rerum sub uno emblemate velut sub idea concludatur. Sic cum Christus in euangelio oblati, Mal. IV. 2. sol nuncupatur, cogitari utique potest, quam Christus terrena omnia superet maiestate, tenebras dispellat ignorationis & errorum, accendat mentes ad pietatem, reliquisque antistet ecclesiae stellis; quomodo item ortus sit praestituto tempore, luxerit praedicatione, defecerit in morte, resurgens noctem veteris testamenti discreuerit a die noui testamenti, & quae his gemina proferri ulterius possunt. Nam etsi ob haec omnia in oraculo illo MALACHIAE solis nomen non gerit, est tamen haec explicatio menti Prophetarum in uniuersum spectatorum congrua: ab hac autem quae abeunt, nimisque sunt, conquisita ac tracta, ea nemo non prudens nobiscum, serio repudiabit. De caetero in singulis locis praedominetur

(a) V. H. V. 3.

netur illa ratio, ob quam allatum est emblemata. Quodsi  
 variae succurrant rationes, atque adeo variae sint res,  
 quas designare ob varios respectus imago queat, ipse-  
 que sis dubius, quatenus illarum potissimum alicubi sit  
 spectata, *totum perlustra contextum*, nec solum, quisnam  
 inter varios emblematis sensus obtineat praesenti loco,  
 sed & ob quam praecipue causam emblemata aliquam rem  
 notet, facile cognosces. Ros apud Prophetas & Chri-  
 stum eiusque fidos ciues, & doctrinam salutarem,  
 & diuinam beneficentiam, imo & ipsum Deum & Chri-  
 stum huiusque notat cruentas perpeffiones: sed Ps. CX.  
 3. filios Dei in regno Christi, nil aliud, significat, & ideo  
 quidem, quia veluti ros multi sunt, e coelo geniti sine  
 humana ope: quemadmodum pulchre sine exem-  
 plo explicat LUTHERVS. (a) Tum ipsa in sen-  
 tentia nihil negligere, ac ne ipsam quidem vocem, vocisque  
 originem, sonum ac e literis structuram praeteruehere, ut in  
 fonte apparet. Nam saepe Prophetas voces usurpant  
 modosque loquendi, quos pro emblematicis nostra lin-  
 gua habeamus, cum in Hebraea sint fere communes, vt  
 cum infortunium vocatur caligo, vt Ps. CXII. 4. cum  
 alieni fluminis aquam bibere, est alibi extra Deum o-  
 pem quaerere. E contrario non semel quoque, quo ma-  
 gis attollant animum legentis, remque exhibeant in su-  
 blimitate sua ac vera forma, Poetarum more, singula-  
 riora adhibent vocabula & extraordinaria, vt cum SA-  
 LOMON Cant. VI. 9. erumpentem e tenebris ecclesiam,  
 non ירר sed לבנה ob pallorem, quem habet nubibus ob-  
 ducta, nec טעש sed חמה ob calorem, quem VIII. 6. s. le-  
 gas

(a) tom. VII. Jen. Germ. f. 328. b. s.





gas exaggeratum. Es. LXIII. 1. Edom rubicundum notat, quia Judaica synagoga non solum Edomaeorum animum gerens, sed & infantis Christi Prophetarumque sanguine polluta designatur. Bazra, metropolis Edomaeorum, vindemiam significat, ipsisque adeo literis alludit ad calcationem torcularis, sub qua Propheta poenam adumbrat sanguinolentorum Judaeorum. Plena allusionum & alliterationum sunt monumenta Vatum, imprimis JEREMIAE XX. 3. ubi Magur in Pashur mutatur, uti MICHAË I. 11. ff. Zaenan pro Schaenan, pro Ramoth legitur Maroth, scaevi ominis causa, als wenn ich spräche: (ita LVTHERVUS (a) haec declarat) Roma! Du sollt ein raum werden/ und wol ausgeräumet; Witteutenberg! du sollt ein weiter berg werden. Cum vero hoc non sufficiat, sed & res verbis notatas, tum similes, tum assimilatas, oporteat nosse, *res quoque naturales, morales, ciuiles, sacras, a quibus ductae sunt emblematicae locutiones, considera*, nec eas solum specta, quae sunt communes omnibus gentibus, sed & quae sunt propriae Israelitarum. Vtilissima hac de re exstat admonitio FLACII, (b) quae si integra legatur a capite ad calcem, nec poenitebit, & multum conducet ad intellectum emblematum prophetorum. Non intelliget locutiones de calore, aduersus eumque munito, nisi qui situm Judaeae naturamque & genium istius nouerit regionis, ubi aer quasi feruidus fuit, utpote magis ad meridiem tendens: quo accesserunt calefactae arenae, saxa, montes, raras pluuiae vel nullae, venti ab oriente ac meridie ficci, & omnia adurentes,

magis

(a) praef. in Mich. (b) Clau. Script. part. II, tract. 6, p. m. 426. ff.



magis quam boreas frigiditate sua solet in Italia. Hinc incredibilis fuit iucunditas refrigerii ex umbra, ex aquis, pluuiis, rore, celebraturque umbra arborum, tugurii, nubis, praesertim aestate, ac imprimis rupium & petrarum: quae fuit tanto frigidior, tum quia validius arduentes solis radios arcuit, tum quia ad radicem petrae, vel sub petra est quasi quoddam subterraneum, etiam cum non sunt cauernae. Iam demum percipies, quid sibi velit ESAIAS, cum XXXII. 2. de Rege Christo: erit, inquit, vir ut receptaculum contra ventum, ut latebra contra procellam, ut aquae riuus in arido loco, ut ingentis umbra rupis in siticulosa terra, & omnia illa emblemata, quae hinc desumfere Prophetæ. Sed & res ipsas coelestes, terrenis assimilatas, ex interiori pernosce Theologia, eoque sedes doctrinarum singularum, ubi perspicue illae ac plene describuntur, probe perlustra. Neque facile fatum aliquod ecclesiae vel reipublicae exstat, a Vatibus emblematicè praedictum, quod non vel alio in loco clarius propositum, vel paulatim ipso rerum exitu habeatur euolutum. Quocirca in Scriptura & historia tum ciuili tum imprimis sacra versatum oportet esse eum, qui mysticum emblematum significatum rite volet capere & explanare. His ita perspectis, *comparationes propheticas passim sparsas collige*, & omnes illos modos, quibus emblemata subinde dilucidius euoluunt: sic namque eas rationes exquires, ob quas breuius locuturi unica voce rem per emblemata attingunt. Hinc cum apud ESAIAM LIII. 2. Messias ut furculus ex aestuosa terra progerminasse v. 3. contemptus & minus quam homo fuisse, v. 7. cum ad caedem raperetur, ne mutuisse quidem dicitur

Y

tur



tur instar agni, in expedito est cognoscere, cur Es. XI. 1. germen & Zach. III. 8. VI. 12. Zemah, cur item Ps. XXII, 7. vermis, & a JOHANNEBaptista Joh. I. 29. 36. & PAVLO 1. Cor. V. 7. agnus appelletur. Praeterea ut tanto signatius pressiusque singulis in locis emblemata possis interpretari, *rationes omnes loci, temporis, personarum expendere*, quarum quidem ex contextu vel historia notitiam acquirere ullo modo poteris. Ita si feceris, haut adeo difficile erit, definire, cur terra Israelitarum & Hierosolyma Ezech. XX. 47. meridiana filua nuncupetur? nimirum quia Babyloniae, in qua haec dicebantur, a meridie fere erat. Denique, ut etiam his imponam coronidem, *exterorum quoque, Aegyptiorum, Chaldaeorum & aliorum ad orientem symbola & hieroglyphica confer*, quorum scilicet copia haberi potest ex scriptis vetustis ad nos usque transmissis, & monumentis ac rudibus antiquitatum. Haec si diligentius aliquanto cum emblematibus conferantur sacris, equidem haut dubito, quin abstrusa multa erui, ignotique imaginum sensus restitui feliciter queant. Id certe inde ad nos redundabit utilitatis, ut confirmetur & illustretur emblematicae cognitio locutionis, si caeterorum ad orientem in eundem sensum conspiratio adducatur. In libro Jobi & Cantico SALOMONIS multa sane occurrunt, quae, nisi exotica aduocoes subsidia, rite explicare vix poteris, quia eorum in caeteris Prophetarum scriptis parallela non recurrunt, ut ad Arabicas literas & Aegyptiacas nonnunquam omnino sit respiciendum. In primo statim cantici capite v. 8. capellarum notio facilius intelligetur, si ex PI-  
ERIO

ERIO (a) didiceris, eam Aegyptiis petulantiae edomita-  
 tae exemplum fuisse. Equus cum ariete apud eosdem  
 imago erat belli, (b) cuius ad usum Aegyptiaci equi,  
 utpote generosissimi, imprimis fuere apti Es. XXXI.  
 1. 3. Huic itaque dum comparatur sponsa, eiusque pro-  
 pterea genis capistrum, & collo tribuitur habena, ne-  
 mo non videt, bellum indicari, Christo duce geren-  
 dum, & omnis generis afflictiones, quibus coercenda  
 a Christo erat ecclesia, ne ferociret. Qua tamen de re  
 ut certi simus, euidetibus Scripturae locis edoceri nos  
 oportet, quae id indicant planius, ne fides nostra auto-  
 ritate humana nitatur eorum, qui imagines exquisi-  
 uerunt. Hi sunt DIODORVS; Siculus, MACROBI-  
 VS, JAMBlichVS, PHILO Judaeus, & ipse HORVS,  
 aevi Theodosiani homo, e Christianis CLEMENS Ale-  
 xandrinus, & EVSEBIVS, e recentibus PIERIVS, CA-  
 SALIVS, KIRCHERVS, MENETREIVS, PIGNO-  
 RIVS, SANDAEVS, & plures alii eius generis. In qui-  
 bus tamen omnibus magna circumscriptio adhibenda, ne  
 dubia & falsa pro veris arripiamus, nec de superstitio-  
 nibus Aegyptiacis aliquid admisceamus sacris paginis:  
 qua in re MARSHAMVS, SPENCERVS & DEVSIN-  
 GIVS, si ab eo est Prodrumus corporis Theologiae,  
 peccarunt. Serpens, fateor, sacerdotii est index apud  
 PIERIVM: (c) sed Matth. XXIII. 33. mendacis doctoris, vi-  
 perae vero maligni daemonis, antiqui illius serpentis  
 Gen. III. 1. ff. Apoc. XXII. 9. eiusque sociorum. Ab  
 hoc enim patre cum dicuntur esse Pharisei, utpote ho-

Y 2

mi-

(a) Hieroglyph. X. 12. (b) Pier Hieroglyph. III. 1, X. 3. (c)  
 XIV. 16.



micida ab initio & mendace Joh. VIII. 44. eo ipso per parallelismum declarari videtur emblemata, quod ita quoque coepit LVTHERVS. (a) Ad illustrationem autem facit, quod serpens apud Aegyptios secundum PIERIVM sacerdotem, & vipera secundum HORVM (b) notat parentibus ingratum & marito insidiantem: tales enim re uera aduersus Christum se gerebant Pharisei. Conuenit & in eos emblemata canum, quos concesserim Ps. XXII. 17. & Es. LVI. 10. scilicet uniuersum Prophetam ac iudicem designare. Quanam uero est ratio: quia nuda deorum simulacra, tanquam vates, fixo obtutu contemplantur, quemadmodum olim & magistratibus Rex nudus proponebatur spectandus? Multo uerior ratio ex mente DAUIDIS ab admorsu hostili, a latratu, aedium custodibus competente, petitur. Talia sunt multo plura apud HORVM, ut sagacis admodum sit ingenii, rectas & sanctas rationes mysteriorum apud Aegyptios superstites, uelut aurum a scoriis secernere, & tanquam spolia ad sacrum usum adhibere.

§. II. Potior esto cura, ut expositiones ipsorum habeamus Prophetarum, quas variis illi dederunt modis, dignis omnino, qui separatim a nobis considerentur. I. itaque per *επεξηγησιον* in antecedenti inciso explicant hos tropos, ut Thren. V. 17. Hanc ob causam nobis moeret animus, oculi nobis caligant; uel etiam sapientius in sequenti, ut Es. XLVI. II. Aduoco ex oriente, uolucrum, ex remota terra uirum, consilii mei destinatum effectorem. II. per appositionem, ut Es. XXXVI. 6. An confidis contrafacto isti arundineo scipioni, Aegyptio,

(a) tom. 1. Jen. Germ. f. 431. a. (b) Hierogl. II. 56.

ptio, cui si quis innitatur, ei perforet manum? Talis namque est Aegypti Rex Pharaon in omnes, qui ei confidunt. III. per uberiores descriptionem & deductionem imaginis, ut Es. VIII. 7. f. Ecce! adducturus iis est Dominus aquam fluvii vehementem & abundantem, Regem Assyriae cum omni suo apparatu, qui superatis omnibus suis alueis, omnesque ripas supergressus, redundabit in Judaeam, tanto fluens agmine, ut ad colum pertingat. IV. per coniunctionis particulam, ut Ps. LXV. 8. Qui compescis strepitum marium, strepitum fluctuum marinorum, & tumultum populorum. V. per casum, quem vocant, genitium, ut Thren. III. 1. Ego is homo sum, qui miseriam sentiam, eius faevitiae virga, & Jer. L. 25. Aperto armamentario suo Jehouah atrocitatis suae tela depromsit. Appellatio imprimis Jehouae res multas a communi sorte eximit & secernit: nam exempli causa mons absolute est regnum, sed mons Jehouae Ps. XXIV. 3. mons sanctus Ps. XV. 1. est ecclesia, quam mirifice prae caeteris montibus praedicat, DAVID Ps. LXVIII. 16. f. Mons Dei mons est fertilis, mons tumidus, mons est fertilis. Cur insolescitis, montes tumidi? In hoc monte Deus amat habitare, hunc ipse Jehouah incolet in perpetuum. VI. per iconem, ut Hab. I. 8. Equites eius procul aduenientes aduolabunt, ut ad vorandum properans aquila. VII. per integram parabolam, eiusque manifestam *αποδοσιμ*, quae duplici modo exprimitur: primum scilicet per distinctam accommodationem, ut Ezech. XVII. 3. f. Aquila ingens, magna alis, plenaque plumis & picturata, venit in Libanum, sumisitque cedri surculum, & decerptum eius



morum caput, sublatumque in mercatoriam terram, collocavit in urbe negotiatorum. V. 12. An ignoratis, quid hoc sit? Ecce! venerat Rex Babyloniae Hierosolymam, captumque eius Regem & proceres, Babylonem ad se deportauerat. Deinde per explicationem emblematum, quibus intellectis accommodatio explicatio audienti relinquitur ipsi, vel legenti, ut Es. V. 2. Habebat amicus meus vineam in quodam pingui cliuo, quam sepiuit, elapidauit, generosa stirpe conseruit, & sic porro. V. 11. Jam Jehouae exercituum vinea est Israelitica stirps, & Judaei sunt eius deliciarum plantarium. Luculentissima utriusque generis exempla in parabolis occurrunt CHRISTI: nam in illa de zizaniis Matth. XIII. 24. ff. emblemata parabolae v. 37. ff. singulatim omnia exponit. Qui bonum semen ferit, Filius hominis est; ager est mundus; bonum semen filii sunt regni; zizania sunt mali filii, & sic porro. E contrario in illa de reti in mare iacto v. 47. ff. luculentam subdit expositionem, per modum iustae ἀποδοσεως factam. Vti vero facilis est intellectus προτασεως parolarum, ita nec obscurus est amplius significatus emblematum, quorum tam planae occurrunt explicationes, ut Pf. LXXXIV. 12. sol & scutum est Jehouah Deus, Es. XL. 7. herba sunt homines, Apocalypf. V. 8. suffimenta, sunt supplicationes sanctorum, byssinum autem XIX. 8. sunt iura sanctorum, & aquae, ubi sedet meretrix, sunt populi, & plebes, & gentes & linguae. XVII. 15. Euidetior autem est, magisque in oculos incurrit & animum fortius is percellit modus, quo per demonstrationem designatur emblematis sensus, ut Ex. XV.



26. Ego Jehouah tuus ero medicus; 2. Sam. XII. 7. tu es ille vir morte dignus; Joh. I. 29. Ecce! hic est agnus Dei, qui tollit peccatum mundi. Istiusmodi declarationem emblematum CHRISTVS Matth. XXI. 28. ff. 33. ff. per artem *μαγειρικην* ab ipsis exposcebat Pontificibus, populique Senatoribus, ut tanto eos felicius suo ipsorum iugularet gladio, & conuinceret manifestius. In talibus autem locutionibus probe est cauendum, ne temere ellipsin admittamus, ut Ps. XI. 1. faceſſee monte vestro auicula, Es. LX. 21. Tuus populus, iusti omnes, semper terram possidebunt, furculus mearum plantarum, Joh. XV. 1. Ego sum vitis, & pater meus agricola. Vbi falso multi subintelligi volunt particulam similitudinis, ut auicula, ut furculus, ut vitis & agricola: neque enim in istis locis naturalis auicula, furculus, vitis, agricola denotatur, vt in icone, sed nouam hae notiones habent significationem, similitudinis causa. Vitis, ut de hac una tantum dicam, non designat vitem vineae, sed Christum ipsum, qui ideo quoque significanter ait: *εγω ειμι η αμπελος η αληθινη*, *ich bin der rechte neue weinstock*. (a) Peculiaris quoque est mos Prophetarum, ipsum emblemata sic circumscribere, ut rationes figurae & figurati misceantur, quo ex praedicatis figurae non conuenientibus, ipsum agnoscatur figuratum. Ezech. XXXIX. 17. ff. Dic auibus omnibus alatis, omnibusque bestiis agrestibus: conuenite & adeste, coite ad meum sacrificium, quod ego vobis, ingens sacrificium, in Israeliticis montibus sacrificabo: & carnem comedetis, potabitisque sanguinem. Carnem heroum comedetis, sanguini-

(a) Luth. tom. III, Jen. Germ. f. 384. A 512. A.





guinemque principum terrae potabitis, arietum, agnorum, & hircorum, iuencorum item, qui sunt omnes Bafanice faginati. Comeditis autem adipem ad satieta-tem, & sanguinem potabitis ad ebrietatem, ex meo sacrificio, quod vobis sacrificabo. Et in mensa mea satiabimini equis & vectoribus, heroibus, & omni genere militum, inquit Dominus JEHOVAH. Quae sane talia sunt, ut competere veris ac naturalibus auibus non possint, nec de sacrificio beluarum accipi a nobis queant. Quin & unum emblemata coniungitur saepe alteri, ut vel sic res una, duobus adumbrata emblematis, cognoscatur, ut Es. VIII. 7. f. Adducturus iis est aquam fluvii vehementem, Regem Assyriae, qui redundabit in Judaeam, passisque alis suis tuam, o Emmanuel, terram, quam late patet, replebit: ubi Rex Assyriae sub duplici emblemata, aquae & auis, repraesentatur. Talia in Cantico SALOMONIS sunt complura, cum sponsa eodem in colloquio mox ut pastor, mox ut equus, mox ut regina, mox fistitur ut columba. Neque hoc cum CLERICO (a) ruditati tribuendum est Hebraei sermonis, sed clementiae Numinis diuini, quod vel sic consulere voluit captui humano. Hinc & cum a re praeterita ducit emblemata, caractere perspicuo designat futuram, vt Es. XI. 11. ff. Eo tempore admouebit iterum Dominus suam manum, ad comparandas sui populi reliquias, flumenque vehementia sui spiritus in septem scindens fluuios, efficiet, vt via sit suis, ex Assyria superfuturis, quemadmodum fuit Israelitis tum, cum ex Aegypto proficiscerentur. Denique emblemata quoque vel apud eum-

(a) Proleg. Pentat. dissert. 1. de lingua Ebraea. §. VI. seq.



eundem Prophetam, vel apud alium declarantur locis parallelis, qui idcirco probe quoque obseruandi sunt, & adnotandi. Zach. III. 8. adducturum se promittit Deus seruum suum Zemah: qui cum VI. 12. f. Jehouae dicitur templum structurus, in folioque suo vt dominator & sacerdos confessurus, satis vel hinc cognoscitur, nonnisi Messiam per Zemah seu Germen illud intelligi. Similiter cum Nah. I. 15. pedes nuntii celebrantur, pacem indicaturi, & Es. LII. ubi idem habetur oraculum, v. 6. f. exferte docetur, ipsum tum Jehouam locuturum ore suo, ut legitur Es. XL. 5. denuo innotescit, Nuncium eum fore Messiam, in euangelio, per Apostolos praedicato, salutem ac pacem oblaturum hominibus. Inprimis vero veteris testamenti Prophetarum clavis est nouum testamentum, ipseque CHRISTVS eiusque Apostoli interpretes propheticorum scriptorum sunt omnium optimi. Neque enim allusionibus modo, sed & allegationibus atque adeo saepius disertis expositionibus multas explicarunt figuras. Allusiones quidem non indicant semper, prophetiam, ad quam alluditur, eandem rem praenuntiare, quemadmodum videmus obscuratione solis & lunae Es. XIII. 10. Babyloniorum, Ezech. XXXII. 7. Aegyptiorum, Matth. XXIV. 29. Judaeorum, Apoc. VI. 12. vero regni Antichristiani depingi ruinam: emblematis tamen sensum generatim patefaciunt. De allegationibus autem id audeo contra HEINSIVM, GROTIUM ac Socinianos affirmare, nullam de Christo eiusque regno vaticinationem velut impletam referri in nouo testamento, quae non de illo etiam tam vere signateque dicta sit in veteri testamento, quam illa Ps. XLI. 10. de

Z

Ja-



Juda Iscariote Act. I. 16. inprimis ubi iusta expositio accedit: etiamsi eam viam ANDR. KESLERVS, (a) qui e nostratibus de hoc scripsit argumento, non vsque teneat. Ef. LV. 1. sitientes inuitantur ad aquam, limpida illam aquam, quae & XLIV. 3. vere Jacobeis liberaliter promittitur. Hanc CHRISTVS Joh. IV. 10. ff. VI. 35. ff. 53. ff. VII. 37. ff. de Spiritu Sancto, bonisque coelestibus interpretatur, a se promeritis, & fide per Spiritum S. accipiendis, quae sunt inprimis iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto: haec enim pertinent ad regnum Dei, teste PAVLO Rom. XIV. 17. non cibus & potus naturalis. Quid sit illa regula coeli, ad omnes pertingens terras Ps. XIX. 5. idem docet PAVLVS Rom. X. 18. explicatque de sono praeconum pacis per Christum partae, qui totum peruagatus est orbem, canonque factus & norma verae religionis. Coelum, terram, mare siccumque commouebo, inquit JEHOVAH Hagg. II. 6. s. quod ita exponit Hebr. XII. 26. s. ut amotionem veteris oeconomiae a Propheta pateat intellectam esse, cui opponitur regnum noui testamenti, quod ita concuti, & mutari non potest. Quin imo tota haec ad Hebraeos epistola PAVLI, nil est nisi clavis veteris testamenti, quae dum typos regni Christi in rebus ritibusque veteris testamenti latentes euoluit, simul desumpta hinc emblemata solidissime explanat.

§ 12. Qua ratione cum ipse Spiritus S. emblemata sua exposuerit tam clare, quid magis opus est, quam ut ei inprimis religiose attendamus, ab eoque ταβαθη του θεου I. Cor. II. 10. reconditos Prophetarum de diuina circa salutem hominum dispensatione sensus cognos-

(a) *diss. de allegat. diſt. V. T. in N. c. VI.*



gnoscamus. Hos enim cum ipse norit intime, tum eos sanctorum \* mentibus patefacit lubens, θεῶν τινα νοῦν ἐπιφαινωῦν ἐν αὐτοῖς, ut ait CYRILLVS. (a) Neus ex recepta Patrum loquendi ratione est sensus ille mysticus, qui in emblematicus, opponitur significatui literalis: unde apud ATHANASIVM vel potius NICETAM (b) fragmentis in psalmos frequens est locutio πρὸς νοῦν sensu mystico. (c) Hunc ORIGENES, (d) & AVGVSTINVS (e) & alii Patres spiritum vocabant Scripturae, qui teste PAVLO 2. Cor. III. 6. viuificat. Grauius autem GREGORIVS Nazianzenus, (f) AVGVSTINVS (g) & ISIDORVS Pelusiota (h) monebant, ut probe discernerentur limites historiae & emblematicum, ne quae historice prolata sunt verba, ad spiritualement intellectum, aut spiritualiter intelligenda ad historicum sensum per vim trahantur. Res ipsas tamen in historiis ad alia, tanquam eorum emblemata, referri, idem aduertit AVGVSTINVS, (i) & exemplis persuasit, iuxtaque cum HIERONYMO & GREGORIO M. ipsos quoque impios typos existisse adnotauit. Loca existant apud SALDENVM, (k) qui temere ac frustra impugnavit Patres, quasi peccatum rationem typi ha-

Z 2

bere

\* Hi sunt, qui scrutantur serio, qui vestigant avidi, sed ita curiosi, ut adorent, ut venerentur omnia. Erasm. enarr. in Ps. I. init. (a) apud Oecumen. in epist. p. 393. (b) qui catenam in Psalmos collegit. (c) Multa huiusmodi loca indicat Suicerus in voce νοῦς & διανοία. (d) lib. VII. contra Cels. p. 345. (e) de D. C. III. 5. (f) Orat. in S. Pascha. (g) de C. D. VII. 3. (h) lib. IV. ep. 203. (i) lib. de Genesi ad lit. passim Quaest. euang. I. 68. serm. LXXIV. de temp. (k) Ot. Theol. II. exerc. 3. de typos. V. T. usu & abusu S. 7. p. 283.



bere non possit, merito idpropter castigatus a celeberrimo BVDDEO. (a) Quid enim dicemus de Caino & Bileamo, qui diserte ab ipsis Apostolis inter peccatores typicos referuntur, ille quidem a JVDA ep. v. 11. hic vero a PETRO 2. ep. II. 15. & ipso CHRISTO apud JOHANNEM Apoc. II. 14. Hic enim est mos Scripturae, obseruatus ab AVGVSTINO (b) & HIERONYMO, (c) ut res veteris testamenti suo quasuis modo ad centrum suum Christum eiusque regnum ipsa referat, & ipsis in prophetiis aenigmata aliquanto apertius subinde declaret, quo nos ulterius mentem Spiritus S. peruestigaremus. Is autem quae nondum satis explicauit, eorum clariorem certioreque intellectum aliunde peti non posse, quam ex euentu rerum praedictarum, IRENAEVS & AVGVSTINVS recte affirmarunt, quorum verba exhibet BIERMANNVS. (d) Speciatim AVGVSTINVS (e) idem emblemata modo diuersa significare docet, ut aqua populum Apoc. XVII. 15. & Spiritum S. Joh. VII. 38. modo contraria, ut leo Christum Apoc. V. 5. & daemonem 1. Petr. V. 8. & modo in bonam modo in malam sumi partem, ut fermentum Luc. XIII. 21. & Matth. XII. 6. & calix in manu Jehouae, vini meri plenus Ps. LXXV. 9. Ostendit quoque, quomodo obscura explicare debeamus ex apertis, ut scutum Ps. XXXIV. 1. ex Ps. V. 12. ubi scutum memoratur diuini fauoris, cuius cum participes reddamur fide, PAVLVS scutum fidei vocat Eph. VI. 16. Plura huiusmodi ex HILARIO, ORIGENE, BASILIO M. GREGORIO

Na-

(a) exerc. de pecc. typicis p. 13. 16. 86. f. (b) de Gen. ad lit. VIII. 2. in Ps. LXXI. (c) in Es. XIX. (d) in praef. ad Clau Proph. Apoc. (e) de D. G. III. 25. f.



Nazianzeno, GREGORIO M. JOH. CHRYSOSTOMO, aliis referre nunc possem singularia admodum obseruata: sed nimis amplum operosumque id foret, nec est id adeo necessarium, cum ea longa iam serie collecta videre liceat apud RVIZIVM (a) FLACIVM nostrum in clauē. (b) Tacere autem non possum septem istas celebres TICONII regulas mysticas, ab AVGVSTINO (c) in epitomen redactas, quibus quasi clauibus diuinorum eloquiorum aperire studeuit occultos recessus, ut quisque ( ipsius iam utor verbis ) prophetiae immensam siluam perambulans, his regulis quodammodo quasi lucis trauitibus deductus ab errore defendatur. I. regula est *de Domino & eius corpore*, quod est ecclesia, docetque, aliquando utrumque velut unam personam mysticam nobis repraesentari, ne haesitemus, quando a capite ad corpus, vel a corpore transitur ad caput, ut patet in illo Ef. LXI. 10. Sicut sponso imposuit mihi mitram, & sicut sponsam ornauit me mundo. II. est *de Domini corpore bipartito*, seu de ecclesia ex bonis malisque mixta, quae vigilantem requirit lectorem, ut quando ad eosdem vel de iisdem est sermo, intelligat, de quam quiduis parte intelligendum sit. Huc refert illud Cant. I. 5. Fusca sum & speciosa, ut tabernacula Cedarena, & vela Salomonis: ubi ad fuscum colorem refert tabernacula Cedarena, ad Ismaelem pertinentia, qui non erit heres cum filio liberae: quod iam non examinabo sollicitius. III. est *de promissis & lege*, seu gratia & mandato, spiritu & littera, quae legem & euangelium in oraculis diuinis vult

Z 3

caute

( a ) in *Reg. ex tam Gr. quam Lat. Patrib. explanationibus illustratis* Lugd. an. 1546. ( b ) *part. II. tract. 2. p. m. 111. ff.* ( d ) *de D. C. III. 30. ff.*



caute discerni. Id argumentum a Pelagianis deprauatum, nec a TICONIO, qui eam haeresin expertus non erat, feliciter satis expeditum, nostri maiores, nominatim LVTHERVS, MELANCHTHON, CHEMNITIVS solidissime tractarunt. IV. est *de specie & genere*, seu parte & toto, quae mirifice facit ad firmendam disputationem GERHARDI contra HEILANDVM. Docet enim, non solum de ciuitatibus, Hierosolyma, Tyro, Babylone, sed etiam de integris regnis & provinciis, Judaea, Aegypto, Assyria aliquanonnunquam dici in Scripturis, quae eorum excedant modum, & conueniant potius totis, quorum ea sunt partes. Hinc vult aduertī, ubi a specie transitur ad genus, quasi adhuc de specie loquente Scriptura, ne quaeratur in specie, quod melius certiusque in toto genere inuenitur, ut Ezech. XXXVI. ubi v. 17. ff. de carnali populo loqui Prophetam, & mox v. 23. ff. excedens speciem, latenter ad Israellem transgreditur spiritualem, quae non unius gentis est, sed omnium, quae promissae sunt patribus in eorum semine, quod est Christus. Vnde & illud, quod ait, v. 24. adducam vos in terram vestram, & paulo post v. 26. habitabitis in terra, quam dederam maioribus vestris, non carnaliter, sicut carnalis Israel, sed spiritualiter, sicut spiritalis Israel, debemus accipere. Ecclesia quippe ex cunctis gentibus congregata, atque in aeternum regnatura cum Christo, ipsa est terra beatorum, patribus promissa & data. Fit hoc etiam de hominibus, sicut ea, quae 2. Sam. VII. 15. de Salomone dicuntur, excedunt eius modum, & potius ad Christum, vel ecclesiam, cuius ille pars est, relata clarescunt. V. est *de temporibus,*

*poribus*, quae vel tempora in Scripturis distinguere docet secundum tropum synecdochen, ut cum CHRISTVS Matth. XII. 40. se tres dies & tres noctes in corde terrae praedixit futurum; vel numeros legitimos obseruare, quos eminentius diuina commendat Scriptura, ut septenarium Ps. CXIX. 164. coll. XXXIV. 2. septuagenarium, ut Jer. XXV. 11. & illum centum quadraginta quatuor millium Apoc. VII. 4. quo numero putat uniuersitatem sanctorum significari. Sed haec numerorum mysteria paulo sollicitius exquisiuerunt recentiores, BVNGVS, KIRCHERVS, LINDENBERGIVS & quod ad usum attinet in prophetiis HOFMANNVS, HEVNISCHIVS, BRVNSMANNVS, qui, ut ut caetera emblematicae sint accepta, numeros tamen saepius proprie, quam tropice ostendit sumi, cum sint clauae prophetiae, & definitorum indices temporum, quo non conducerent, si improprii essent plerique, & indefiniti. (a) VI. est *de recapitulatione*, quae cum dicuntur quaedam, quasi sequantur in ordine temporis, vel continuatione rerum, ad priora reuocat orationem, fitque manifestius in historiis, ut in historia creationis Gen. II. 8. & filiorum Noachi Gen. XI. 1. ubi cum antea singulis tributae essent suae linguae, omnibus per recapitulationem unum putat labium, unam adscribi vocem, quam tamen malim de consensu doctrinae interpretari. Obscurius fit, in prophetiis, ut cum Luc. XVII. 29. sub alterum Domini aduentum id dicitur cauendum, ne quisquam retro respiciat, ad vitam scilicet praeteritam, cui renunciauit:

(a) *Schediasm. Apoc. lib. 1. sched. 2. §. 8. conf. Hofmann. Chronot. c. V. obs. 7.*





ciavit: quod iam ipsorum aevo Apostolorum secundum illud, Joh. II. II. monet obseruandum quoque fuisse. Sed locum LVCAE de aduentu Christi ad iudicium in Judaeos tuncque adhibenda circumspectione, citra recapitulationem intelligendum esse, alibi (a) monstraui. Et alia sunt luculentiora huius rei exempla, a VICTORINO, (b) BEDA, (c) ANSBERTO (d) Apoc. IV. IX. XII. obseruata, (quippe in quo toto libro hic est mos Spiritus S. ut, ubi ad nouissimi temporis finem procurrit, rursus recapitulet (verbum retineo TICONII) priora, & quae minus dixit, aliis atque aliis imaginibus suppleat ac figuris, ut in visionibus quoque PHARAONIS Gen. XLI. & DANIELIS II. VII. factum comparet. Neque tamen hoc de continuata numeris visionum serie, est intelligendum, ut cum epistolae, figilla & tubae septem, una post alteram occurrunt, quae non eadem cum prioribus repetunt, sed diuersa singulae proponunt. VII. denique est *de diabolo & eius corpore*, quae, cum aliquid dicitur de diabolo, attendere iubet, quid capiti conueniat, & quid corpori, quod habet non solum in eis, qui manifestissime foris sunt, sed in eis etiam, qui, cum ad ipsum pertineant, tamen ad tempus ecclesiae admiscentur. Hinc quod scriptum est apud ESAIAM XIV. 12. Quomodo lapsus es de coelo, Lucifer, aurorae fili, de diabolo dictum esse, nec tamen, quod ibi legitur: *Deturbatus es ad terram, qui opprimebas gentes, totum ipsa capiti congruere arbitratur.* At neutrum daemoni, sed Regi Babyloniae conuenit utrumque, nisi hic velis sectari allego-

(a) *diff. de hoc argumento* §. 17. p. 47. (b) *comm. in Apoc. IX. XII.* (c) *in Apoc. IV.* (d) *praef. comm. & ad Apoc. IV. & XII.*

allegoriam, & myſterium non in vocibus quaerere, ſed in rebus. Hae omnes itaque regulae, excepta una de promiſſis & lege, aliud ex alio faciunt intelligendum, quod eſt proprium tropicae locutionis, quae multo latius patet, quam ut poſſit ab aliquo uniuerſa plane comprehendere. Vbiſcunq; enim aliud dicitur, ut inde aliud intelligatur, etſi nomen ipſius tropi in arte dicendi non reperitur, (neque enim ſufficiunt tituli communes) tropica locutio eſt, aut emblematica. Sed nihilo tamen ſecius tum ipſe quoque AVGVSTINVS (a) multa hanc in rem utiliter praecepit, tum HIERONYMVS, (b) & IVNILIVS, (c) & prae multis aliis ADRIANVS, Graecus ſcriptor, ſua in ſacras literas iſagoge, quae iudice PHOTIO (d) eſt *χρησιμος τοις εισαγομενοις βιβλος*, edita a DAV. HOESCHELIO, in hac palaeſtra cum laude deſudavit, inque iis praefertim comprobavit induſtriam ſuam, quae faciunt ad *ανθρωποπαθειας*. Neque vero intelligere ſolum emblemata laborarunt, ſed & ex iis colligere ac demonſtrare veritatem doctrinae exemplis docuerunt, quamvis a lapſibus haut fuerint immunes. CYRILLVS contra EVTYCHEM diſtinctas eſſe Chriſto naturas, ex emblemate rubeti ignei in viſione illa MOSIS Ex. III. 2. probabat, ut BIERMANNVS (e) obſervavit. GREGORIVS Nazianzenus (f) pravam refellebat interpretationem illorum, qui, cum baptiſmum diutius differrent, ut voluptatibus prius ſeruirent uſque ad

A a fatie-

(a) de D. C. III. 5. ſſ. (b) in epp. paſſivo, praecipue in duabus ad Pammach. de optimo genere interpretandi, & de ſtudio Script. riſte excolendo (c) de partib. S. literar. lib. II. (d) cod. II. (e) in Moſe & Chriſto p. 370. (f) Orat. IV. in ſanctum bap.



fatietatem, emblema postremorum pro se allegabant in vinea operariorum ex parabola Christi Matth. XX. 9. ff. Viderunt nempe, emblemata fatis firmas suppeditare rationes ad confirmandam religionem Christianam, modo recte prius caperentur. Sed cum tamen non semel etiam erronea praeceperint, fieri non potuit, quin errores in ipsam eorum proferperent interpretationem. Fallitur JOH. CHRYSOSTOMVS, (a) qui non omnia parabolarum verba excutienda esse, iudicat, & tamen in sacris literis nihil superuacuum esse, ipse dicit: (b) cui consentiens HIERONYMVS: (c) finguli, inquit, sermones, syllabae, apices & puncta in diuinis Scripturis plena sunt sensibus. Fallitur HILARIVS, (d) qui excellere docet id, a quo sumitur comparatio vel emblema, ut si puellae tribuas niueum candorem: unde non putat ad Christum quadrare, quod Ps. I. 3. dicitur: erit, ut arbor sata ad riuum aquarum, quod absurdum videatur, si arbor ulla sit Christo felicior. Atqui cum ipse CHRISTVS Joh. XV. i. sese vitem vocat, num. periculum est, ne vitis haec vulgata anteponatur Christo? Non opinor, non profecto magis, quam ubi lapis, aut agnus dicitur, aut leo. Siquidem in arcanis literis contemtissimarum etiam rerum imagines adhibentur, ad explicandam diuinae naturae rationem: quas alioquin HILARIVS, in anthropopathiis praesertim, haut incommode explicauit. Praedicandum itaque studium est Patrum, quod mediis in Papismi tenebris RVPERTVS quoque Abbas imitatus est, omnes elo-

(a) in c. XX. Matth. & Rom. XVI. (b) in Es. VI. super verba: *vidi Dominum.* (c) in Eph. III. (d) in Ps. I.

eloquentiae virtutes ac ornamenta, quae inter emblemata maxime excellunt, in Scriptura S. plenissime contineri, exemplis ex ea petitis fufe admodum ostendens. (a) Depulsa autem foeda Scholasticorum barbarie, & bonis literis magno euangelii commodo restitutis, incredibile dictu, quanto in id feruore enisi sint nostrates, ut emblematicas etiam locutiones Prophetarum sua doctrina redderent illustriores. Exstant ea de re eximia praecepta LVTHERI, (b) quae ex ipsius tomis Jenensibus collecta propediem luci dabo, tum & LAMBERTI (c) graues admonitiones de litera & spiritu, \* FLACII (d) pulchrae obseruationes & GLASSII, (e) cuius epitomator est HERWARTVS, & ex his decerpti aurei canones SENNER TI, FINCKII & MOEBII. His adiungendi, qui dum isagogas dedere in Prophetas, simul de eorum stylo tropico egere, ut e veteribus GERHARDVS praefatione in Canticum, CALIXTVS in Prophetas, SNEPFIVS in Esaïam, & alii plures, e recentibus HEVNISCHIVS, SANDHAGENIVS, BRVNSMANNVS in Apocalypsin, (f) qui certatim, omnes ad intelligenda Prophetarum emblemata aditum patefecerunt.

§. 13. Horum qui consilia expenderit secum sollicitius, ipsorumque monumenta Vatum legerit cum cura,

A a 2

ra,

(a) lib. VII. de operib. Spiritus S. (b) tom. I & III. Jen. Germ. passim. (c) lib. de Prophetia, litera & spiritu tract. IV. & V. \* Non diffiteor, duriores nonnunquam eius esse locutiones, ob quas a Fechtio & Grapio Fanaticis nuper accensus est. (d) Clau. part. II. tract. IV. V. & VI. p. m. 426. ff. (e) Philol. s. lib. I. tract. 4. & II. per totum, & lib. V. tract. I. (f) Sched. Apoc. lib. I. sched. 2.



ra, ei haut adeo difficile erit, de symbolicis celeberrimi in hoc genere COCCEII expositionibus iudicare, quas in Canticum caeterasque veteris ac noui testamenti prophetias, harumque locutiones emblematicas habemus. Laudant virum e nostratibus, quotquot iustum praeclaris ingeniis pretium ponunt, CALOVIVS (a) ob insignem Hebraismi notitiam, & scrutinium nouorum in veteribus; GEIERVS (b) ob animi candorem, quod suos deserere maluerit, quam veritatem; ipse ALBERTI (c) ob summam ἀρχινοίας, qua in abditissima sese potuit penetrare. Et quis non dignissimum encomio censeat, quod adeo non fauerit Judaeis & Judaizanti CALVINO suo, ut oracula veteris testamenti eriperet Christianis, aut ambigua redderet, ut potius dextre de Christo interpretaretur? Quia autem multa ad eum retulit, quae ad eum re vera non pertinent, hinc Voetianis visus est eludere adeo vaticinationes de Christo voluisse: quos inter nemo fere vehementior fuit JONCVRTIO, ecclesiae Walonicae apud Hagienfes Ministro. (d) Sed cum is ne canones quidem hermeneuticos adhiberet, sine quibus de sanctis Vatum aenigmatibus nihil cum ratione definiueris, fieri non potuit, ut solida admodum COCCEIO eiusque in Belgio aestimatoribus opponeret, facileque adeo esset TILLIO (e) & BRAVNIO, (f) eorum causam aduersus arrogantem hunc censorem feliciter tueri. Neque enim cuiusuis est, iudicare,

(a) in Deut. XXIX. p. 614. (b) in psalm. part. I. p. 224. (c) de Cartesianismo & Cocceianismo c. II. §. 37. (d) in dial. de diuersis explicandi Script. & concionandi methodis. (e) in antidoto ei opposito c. VI. (f) in admonitione.



dicare de his rebus, & inter iam varias interpretum sententias arbitrum agere, si inprimis ad imperitiam quaedam animi malignitas, atque adeo temeritas, accedat. Iniquum fane erat, observationes docti viri, in gratiam auditorum ex tempore dictatas, ac post eius fata demum eo in lucem emissas, ut ansa praeberetur aliis ea, curatius exquirendi, emendandi & exasciandi, tanto excutere rigore, quanto ea, quae edita sunt ab ipso, & publico examini subiecta. Et quid sperari poterat ab eo, qui non solum ulterius progressus, quam SPENCERVS, uniuersas adeo doctrinae typicae euertit rationes, sed clanculum etiam extenuationes propheticas GRO TII introducere moliebatur, ne nimium hic facere videretur cum COCCEIO. Quod si typi tollantur ad unum, omnes, quid agitur, nisi ut Deo sua gloria, Scripturae suus splendor, historiis & ceremoniis suum mysterium, atque, ut verbo dicam, religioni Hebraeae sua sanctitas detrahatur. Discernenda hic erant vera a falsis, certa a dubiis, nec dum satis demonstratis: non utraque si simul reiicienda. In prophetiis earumque emblematicis interpretandis errauit, fateor, & GRO TIVS saepius, & COCCEIVS: ille enim nullibi, hic ubique ferme quaerebat Christum; ille non ultra tempus veteris oeconomiae producebat vaticinationes: hic ad ultima usque tempora Messiae, cunctaque eius cum Judaeis, gentibus & Antichristo Romano certamina trahebat. Media hic incedendum est via, nec magis colludendum, cum GRO TIO, quam faciendum cum COCCEIO. Nam etsi utrobique interpretes peccat, tolerabilius tamen videtur peccare, qui Christum se videre arbitratur, ubi



se forte non ostentat, quam qui eum videre renuit, ubi se satis clare offert, patefacitque spectantibus. Hoc quippe segnem arguit animum, & qui tardus fit ad credendum, qualis se in Judaeis prodit & Socinianis, plurima passim ita studio torquentibus, ut nihil cum Christo commune videantur habere velle: illud vero iudicium esse potest mentis Christum amantis, plurimumque vel minima data occasione de eo cogitantis, unde & CALOVIVS (a) pium studium appellat. Vbi autem nulla plane occasio est data, nulla etiam, ut recte WITSIVS (b) admonet, interpretatio est facienda oraculi de re aliena. Neque enim lubricis rationibus contenta est fides, sed solida ac firma desiderat fundamenta, quibus tuto possit inniti. His ubicunque destituitur explicatio COCCEII, deserenda est utique, & rector alia quaerenda. Neque negari potest, quod ait CALOVIVS, (c) coactas, contortas, violentas & tricas passim in scriptis eius pellucere interpretationes, ubi vel vulgi retinet opiniones, vel aberrat cum Judaeis, vel suo obsecutus genio, ad suas cogitationes exigit Scripturam, eiusque oracula ad singularissimos trahit casus, ad quas non sunt relatae a Spiritu S. quo nihil in eo gravius reprehendunt HVLSIVS (d) & ALBERTI. (e) Hinc Ef. LXIII. 1. ff. calcationem torcularis de perpeffione Christi eiusque membrorum, cadaver & aquilas Matth. XXIV. 28. de Christo & electis cum vulgo interpretatur. Hinc cum Judaeis Deut. XXXII. 1. coelos de iis fere omnibus

(a) *l. c.* (b) *Oeconom.* IV. 6. §. 8. (c) *Bibl. illustr. t. I p. 29.*  
 (d) *in Discuss. Considerationum Heidani p. 92.* (e) *l. c. §. 20.*  
 30.



bus exponit, quae hoc vocabulo designari videbantur posse, atque in uniuersum varietatem significatum passim in vocibus sectatur. Hinc secundum suas de ordine prophetiarum fatalibusque ecclesiae periodis hypothesen, cornua Iosephi Deut. XXXIII. 17. de potentia Constantini M. collum Salomeae & oculos & nasum de constantia fratrum Bohemorum & tristitia indignationeque Reformationum aduersus Imperium intelligit. Palpationem illam Es. LIX. 10. de depositione Ferdinandi II. & electione Friderici Palatini, indeque secutis bellis, Es. XXIV. 14. cantus a mari de victoriis Batauicis, in primis anni 1639. v. 16. cantus ab ora terrae de expeditione Sueci in Germaniam, quae tamen maciem non abstulit, sed magnas simul attulit clades, excidium Magdeburgi, ipsius interitum Regis, v. 18. laqueum, quo capiendi fuere homines, de clade Germaniae in funesto illo bello tricennali putat dictum. Cuiusmodi coniecturis cum & ipse haut raro diffidat, fluctuat subinde inter diuersas opiniones, Origeniano more, & quid vox aliqua significare possit, dubius subindicat. Tum & hallucinatur saepius in ipsa generali emblematum notione, aut id pro certo ponit, quod vel minus recte, vel plane non est demonstratum, ut cum Gog ait esse Antichristum, quod quasi in tectum medium se constituat inter Deum & homines, Edom vero Iudaeos & Turcas, quod eam hi occupent plagam, & sic caetera quoque gentium, illaque filiorum & nepotum Jacobi nomina *πνευματικως* passim acceptat. Quae cum mira nouitatis specie offendant legentem, tum quousque cum veritate conueniant, vel ab ea recedant, iudicari prius non potest, quam





quam rationes typicae & emblematicae omnes generatim fuerint examinatae, ac tum vicissitudines ecclesiae suis aetatibus designatae, expensaeque singulae Vatum prophetiae, ut, ubi incipiat noua oratio, ubi desinat, & ad quam proprie periodum pertineat, iustis ex principiis cognoscatur. Tentauit id HEVNISCHIVS in Canticum & Apocalypsin, celeberrimus MAIVS in ecclesiae oeconomis, & pauci alii. Sed urgendum est opus, ad quod COCCEIVS glaciem fregit inter suos, corrigenda posteris relinquens sua cogitata. Hoc opus, hic labor erit.

§. 14. Quodsi altius ascendamus, non defuerunt & olim, qui ex longo Vatum usu ac obseruatione quotidiana interpretationem emblematum & Lexica prophetica sunt moliti, quamuis dispari admodum successu. Primo inter hos loco collocamus Iudaeos, qui, cum omnibus aliis scientiis anteponendam iudicarent sapientiam, in oraculis MOSIS & Vatum latentem, horum, interpretatione in sacris conuentibus ita sese a priscis inde temporibus exercuerunt, ut in primis mysticum eorum exquirerent sensum, & quis scopus esset rituum, quae ratio prophetiarum, inuicem conferrent. Quod quia verbo *ויש* notatur, hinc Academiae ipsorum dictae sunt *בתי המדרש* / Fusius ex veteri id historia MOLINAEVS, (a) ALTINGIVS, (b) VITRINGA, (c) HEVBNERVS, (d) SILBERRADIUS, (e) & alii plures docuerunt, ad quos harum rerum studiosos remitto

(a) in *Vate* l. 18. (b) de *Acad. & concionib. Iudaeor. post reditum e Babylonia.* (c) in *Archisynag. c. XI.* (d) *diff. de Acad. Hebraeor. §. 7.* (e) de *filiis Prophetar.*



mitto. Quia vero Pharisei in traditionibus occupabantur, Sadducaei autem literae inhaerebant legis, nulli magis mysteria Scripturae ubiuis venabantur Essenis seu Therapeutis, ob studium artis medicae sic appellatis, de quibus nos edocere potest PHILO (a) Judaeus, & auctores trihaeresiii. Qui cum ad superstitionem usque ratiocinationibus suis indulgerent, sacraque oracula ad suos detorquendo sensus, incerta ac vaga redderent omnia, ut ex eo patet genere argumentandi, quod נחמך נחמך נחמך vocant Rabbini, hinc ab istiusmodi ratione philosophandi, ad ceremonias legis, non ad Christum accommodata, PAVLVS Col. II. 7. merito suos auocabat. Commune vero hoc factum est vitium, eorum praecipue, qui ex Alexandrina progressi schola, Platonicas imbibere sententias, Aegyptioque more ex literis signisque hieroglyphicis nescio quae exsculperunt arcana: quo factum, ut quiduis ex Scriptura pro lubitu elicerent. Ita R. SIMON BEN SETAH fecit, & ipse postea PHILO, (b) & alii plures: nec aliter lusum esse Tiberiade, BVXTORFIVS (c) ostendit. Quod institutum licet in libro Zohar imprimisque in Siphra Zeniutha aut Idra Rabba haut omnino approbemus, nimis tamen temere censemus iudicare, qui vel nihil sani in uniuersum apud Judaeos reperiri, aiunt cum FORSTERO, quem ideo HOTTINGERVS (d) & CARTWRIGHTVS, (e) e nostrisque SCHIKKARDVS, (f) DILHERRVS (g) & WAGENSEILIVS (h) merito castigarunt; vel si quid tale forte oc-

Bb cur-

(a) *de Therapeutis & de vita contemplatiua.* (b) *Vid. Trigland. de Caracis p 88.* (c) *in Tiberiade.* (d) *Ihes. philol. 1 2. sect. 7. 243. ff.* (e) *praef. in Gen.* (f) *פיהפ disp. VI §. 1.* (g) *disp. Acad. tom. I. p. 338.* (h) *Tel. ign. Sat. praef. p. 64.*



currat, id ex Apostolorum aut Patrum scriptis haustum, cum IS. VOSSIO & JOH. OWENO arbitrantur, quod vel ex notatione temporum refelli posse, recte nuper LOSIVS (a) admonuit. Comparent sane etiam hic veteris vestigia doctrinae, a Prophetis eorumque discipulis proximeque ab HAGGAEO, ZACHARIA & MALACHIA ad ipsos transmissae: quod initio Pirke aboth & in praefatione MAIMONIDIS ad Jad Chafaka, iusta aetatum serie observata, indicatur. Non iam excutiam VITRINGAE (b) placitum, qui de vera antiqui testamenti cabbala praefatus, eam in decem Sefhiris ita conatus est interpretari, ut mysteria adumbrasse doceret Messiae, tanquam verae cum Spiritu S. Schechinae, eiusque regni, ubi caput tenent tres priores Sefhirae, seu tres divinae hypostases, caeterae vero septem Messianam exhibent oeconomiam, ut cum MORO (c) explicat BVDDEVS. (a) Qui autem priscas emblematum notiones in autore libri Zohar (ut de hoc iam solo dicam) agnoscere nolit, eum nimiae putaverim esse obstinationis: adeo manifeste passim sunt adpersae. Arborem is vitae refert ad Messiam, quem nominat Metatron, admodumque insigne antiqui fidei *אֵלֶּיָאָרוֹן* habet ad Es. LIII. Hic vero ante omnia cum ABEN ESRA (e) & COCCEIO (f) distinguendi sunt duo praesertim

(a) *diss. de eo, quod Hebraei veteres Christum, Scripturae scopum, studiose quaesiverint, S. 4. p. 13.* (b) *Observ. S. diss. II. c. 2.* (c) *in descript. tabular cabbal. tom. 1. opp. Philos. p. 423. ff. & in catech. cabbal. seu Mercanaeo p. 511. ff.* (d) *Introd. ad hist. Philos. Hebr. p. 278. ff. Conf. Hinckelm. detest. fund. Boehm. Zierold. introd. in H E. p. 257. Vitring. Observ. S. diss. II. c. 2. p. 133.* (e) *in Thren. 1.* (f) *ad Gem. Sanhedrin. 7. 80.*



tim Judaeorum modi interpretandi, praeter cabbalam, usi-  
tati, alter על דרך משמעו *κατατορητον*, alter על דרך המורש  
*κατατην διανοιαν*, quo etiam ille pertinet, quando aliquid  
על דרך רמו *τυπικως* exponunt, ut cum R. SIMEON  
JOCHAIDES, (si fecit librum Zohar) in Adamo respicit  
Messiam. Secundum hunc emblemata in rebus ac per-  
sonis, secundum illum vero in verbis ac orationibus o-  
stenduntur, quae clare proposita sunt ab ipsis Dei Viris.  
Atque in horum quoque evoluendo vero significatu,  
quam diligentes fuerint prisca doctores, documento sunt  
Chaldaicae paraphrases ONKELOSI & JONATHA-  
NIS, itemque Targum Hierosolymitanum, quibus ne-  
cesse tum fuit iacturam linguae Hebraicae, quam apud  
Babylonios ferme dedidicerant Judaei, vel quodammo-  
do refarciri. His enim dum oracula illi diuina transtu-  
lerunt, pleraque simul emblemata Vatum exposuerunt  
prorsus eximie. Sceptrum Judae Gen. XLIX. 10. ON-  
KELOSVS de dominatore; baculum & virgam illam,  
Jer. XLVIII. 17. de Rege & Domino Moabitarum, Ju-  
daeos affligente; ignem & flammam Num. XXI. 28.  
de populo forti infestisque bellatoribus haut incongrue  
adeo explicavit. Sed cum praeterea nihil adhuc do-  
ctores scripto diulgassent, mox ubi ad interitum verge-  
re rem publicam cernebant, gentemque suam dispergen-  
dam esse per orbem, quae coram proponere antea con-  
sueuerant, libris sunt complexi. Hinc utrumque Talmud,  
una cum Tosephoth eiusdem, ideo maxime commendan-  
dum, quod non solum in Pirke aboth, quem libellum  
DILHERRVS (a) & KROMAYERVS (b) tam impense

Bb 2

lau-

(a) tom. I. *disq. Acad.* p. 341. (b) in *Polym. Theol.* p. 84.



laudant, sed etiam alibi passim priscorum adducuntur testimonia doctorum. Subinde quoque in eodem parabola occurrit, non multum differentes ab iis, quibus usus est sanctissimus Seruator, de operariis in vinea Matth. XX. 1. ff. de diuite epulone & paupere Luc. XVI. 19. ff. de quinque prudentibus & totidem fatuis virginibus Matth. XXV. 1. ff. Eas vero nec CHRISTVS ex schedis carpsit Rabbinorum, uti ROB. SHERINGHAMVS (a) volebat, nec Rabbinus hauserunt ex ore CHRISTI, sed utriusque sumserunt ex communi usu, similique formula proposuerunt: *τινι μοι ωσαυτο*; לממה חרבר רומה / item אמשיל דר משל / & sic porro. Speciatim Mechilta in Exodum, Siphra & Siphre discipulorum IVDÆ in Leuiticum & libros sequentes, tum & Tanchuma & Pfikta, imprimisque Rabboth in totum Pentateuchum & quinque Megilloth nil aliud sunt, nisi commentarii maxime allegorici, qui omnes libro Jalkut in epitomen sunt redacti. Sic in Rabboth Spiritus ille מרוחה Gen. 1. 2. est Spiritus Messiae Es. XI. 1. auis instar volitans super aquas, cuiusmodi expositionis umbram in Phoenicum quoque sacris mysteriisque reperias Aegyptiorum. Eodem in libro ad Cant. 1. 2. verba legis sub imagine aquae, vini, olei, mellis & lactis proponi in Scriptura docetur, rationesque conueniendi simul quam diligentissime exquiruntur. Ad Cant. II. 15. Reges alios igni, Aegyptios vero rebus, quae igne consumuntur, ut lino; illos auro & argento, hos plumbo in profundum delapso; illos cedris, hos stipulis; illos generosis animalibus, hos vulpibus obseruatur ad simulari, haecque notio euoluitur

(a) praef. in lib. Joma.



tur per partes, quae tamen isto in loco non Reges denotat, sed falsos doctores. Cum vero autores Rabboth mystice quidem, sed de populo Israelitico eiusque statu sub lege Canticum exponant, huc quoque omnia referunt emblemata. Libro Psikta emblemata lucis in narratione MOSIS Gen. I. 4. & in Psalmo XXXVI. 19. intelligitur de Christo, & ubicunque fere de luce Dei sermo est, ut Ps. XLII. 4. & Es. LXI. 1. alii quoque passim Messiam volunt cogitari. Plura possem antiquioris sinceriorisque Hebraeorum de Messia doctrinae symbolica proferre monumenta, nisi ea ex his libris meritissimus quondam ESDRAS EDZARDVS (a) iam collegisset quoque longe pulcherrima. Postea vero magis indies haec cognitio decreuit, dicique haut potest, quanta apud Judaeos barbaries inualuerit, suo unice Talmudi intentos usque ad saeculum XI. Eo namque post diuturnum satis silentium hoc genus studii, denuo ab interpretibus est instauratum, quos inter primus fere omnium JARCHIVS exseruit caput, & ipse quidem Talmudicus adhuc, sed adeo tamen in explicanda lege felix, ut a suis vulgo פרושנים nuncupetur. Mox magno numero secuti sunt alii, ut SAADIAS, ALSCHECH, ISAACVS ARAMA in Akedath litzchak, ac plures alii. Qui licet non solum a fide ac sapientia maiorum longissime absint omnes, sed & ab inuicem dissentiant varie, ac ad duplicem illum Messiam Scripturae oracula misere saepius detorqueant, velamine quippe MOSIS obtecti, atque adeo fatente ipso MAIMONIDE (b) & ABARBENELE (c) caeci, nobis

Bb 3

tamen

(a) in consensu Antiquit. Judaicae cum explic. Christiana super Jer. XXIII. 5. f. (b) Jad Chajak. Hilch. Melach. c. XII. §. 2. (c) comm. in Es. XLII. & LII.



tamen non omnino nullam afferunt utilitatem. Si enim res ipsas spectemus, multa apud ipsos religionis nostrae, quam & ipsorum coluere antecessores, rudera adhuc reperiri, ex eorum scriptis JOH. FRISCHMUTHVS, (a) JOH. ERNEST. GERHARDVS, (b) ROD. MART. MEELFVHRERVS, (c) & JOH. HENR. MAIVS, (d) commonstrarunt, quomodoque vel in historia creationis quaesiverint Christum, SAUBERTVS (e) & LOSIVS (f) ad oculum ostenderunt. En quam ingenue KIMCHIVS emblemata psalmi II. & Eccl. XXX. 16. fatetur a veteribus de regno Messiae exposita esse, quod vel ex laudato libro Zohar ex parte posset comprobari. Taceo caeteros, quorum ipsi quoque errores veritati inferuiunt, non detegendae solum, sed & roborandae, si modo prudens ac pius interpres accedat. Quod si praeterea spectemus modum loquendi, quem tum Prophetae in codice Hebraico, tum & ipsi Euangelistae & Apostoli quoque in Graeco illo quidem, sed variis subinde Hebraismis consperso sermone usurparunt, utrobique ex Judaeorum monumentis multa praeclara ad pleniorum sensus intellectum produci in lucem posse, idem FRISCHMUTHVS, HACSPANIVS, CARPZOVIVS & Hebraice docti omnes pridem agnouerunt, publiceque sunt confessi. Hancque ob causam & Grammatici, quorum primus JVDA traditur fuisse, eo ipso doctrinam emblematicam iuuant admodum, quod suae linguae nobis describunt proprietatem, quemadmodum fecit KIMCHIVS in Michlol & SA-

(a) in volumine dissertat. passim. (b) *Vmbra in luce* Jen. 1667. (c) *de consensu veterum Hebraeor. cum eccles. Christiana.* (d) in *Theol. Judaica.* (e) in *Excerpt, Rabb. ad priora cap. Gen.* (f) *l. c.*



SALOMON BEN MELECH in Michlal Jophi. Habet enim hoc prae multis aliis peculiare Hebraeum idioma, quod quasi natio quodam genio altius affurgat, resque eminentiores ideis visui expositis sine tamen imperfectione depingat: qua de re a VAL. ERN. LOESCHER (a) haut ita pridem actum est satis. Neque paulo plus huc conferunt quoque scriptores Lexicorum, ut NATHAN in Lexico Aruch, ELIAS LEVITA in Thisbi & Methurgeman, DAV. KIMCHIVS, in celebri illo radicum libro, & caeteri, ab eruditissimo WOLFIO (b) diligenter recensiti. Ne quis vero & his adiutus subsidiis vulgatos (apud ipsos etiam Rabbinos) sequatur errores, prae reliquis MAIMONIDES cauit in More nebochim, libro sane aureo, in quo obscuritates Scripturae bene multas tollere feliciter, praecipueque emblemata Vatum praeceptis exemplisque in medium productis singulari cura docuit interpretari. (c) Cum quo si ABEN ESRAM in primis coniungas, catum admodum interpretem, & idiotismorum Scripturae tenacissimum, post autores Rabboth in hoc genere praecipuos habebis. Hi duo enim cum & alienis tincti literis, & Philosophia essent imbuti, culta diligentius ratione, soli fere inter suos eo usque profecerunt, ut vulgares olfacerent nugae, & primi omnium sapere inciperent. Succedere his possunt LEVI BEN GERSON, MOSES NACHMANIDES, BECHAI, KIMCHIVS, SALOMON BEN MELECH & ABARBENEL, in eruendo vocum natio sensu praestantissimi. Sed tam fusa iam

EM-

(a) *lib. de causis linguarum Hebr.* (b) *in histor. Lexicor. Hebr.* (c) *part. II, c. 24.*





EMPEREVRIVS (a) e nostrisque HACSPANIVS (b) docuerunt, quod & quatenus in his cum fructu opera collocetur, ut iam non opus sit vel verbum his adiungere.

§. 15. Quia a Judaeis, tanquam captariis nostris, oracula priscorum Vatum nobis quasi per manus sunt tradita, idcirco his paulo longius placuit immorari, ac in caeteris, quantum fieri poterit, lineas ducere breviores, quodque speciatim spectat ecclesiae Patres, eorum merita versatissimo in his ZORNIO nostro commendanda relinquere. Iuit mos excutiendi collationibus Prophetas ad coetus Christianos, testaturque PAVLVS I. Cor. XIV. 32. (c) frequens iam tum in ecclesia Apostolica eorum fuisse scrutinium, utpote quo nihil magis tum quidem conducebat ad solidam ex vaticinationibus confirmationem veritatis. Quo minus autem tanta hi felicitate expedire emblemata potuerint aequae omnes, quanta nobis hodie conceditur, non una obstitit causa. Primum enim euentu destituebantur multarum rerum praedictarum, ante quem prophetia, ut fatetur IRENAEVS, (d) nil est nisi aenigma & ambiguitas. Hinc ipsius Apostoli temporibus res adhuc futurae symbolis velatae aegre cernebantur, obscuriusque adeo & imperfectius a primis cognoscebantur Christianis. ut I. Cor. XIII. 9. 12. innuitur. Quo apertius autem illae ipso subinde exitu declarabantur, eo quoque percipiebantur paulatim accuratius, & pulchrius exponebantur indies. Multum pri-

(a) in praef. οδοιπορίας Kimchii. (b) lib. de Script. Judaicor. in Theol. usu vario ac multiplici. (c) Vid. ad hunc locum Am. Ius in mensibus p. 662. (d) IV. 4.



mi iam intellexere Patres, asserta aduentu Christi prophetiarum veritate subnixi; plus sequentes, praefinita in Iudaeos gentesque iudicia conspicati; plurimum caeteri ad hunc usque diem, miraculo insuper confirmati promissae e mystica Babylone liberationis percussionisque Antichristi, cuius tyrannidem priores illi nondum ita fuerant experti. Altera fuit ratio, quod non cum infidelibus modo, in sacro codice non versatis, & haereticis, diuersa plane meditantibus, sed & ipsis tandem cum fratribus, meretricem colentibus Romanam, in aliaque omnia abeuntibus, exoticis potissimum argumentis decertandum ipsis fuit. Quod institutum etsi non uni profuit veritati vel explanandae manifestius, vel fortius etiam defendendae, emblematicis tamen ex uniuersa historiae prophetiaeque contextu eruendis obfuit saepius. Dum enim litibus illi maxime intenti essent, factum est, ut ex qualibet ratione, etiam leui, aestimarent emblemata, sonumque secuti, non nexum totamque partium *συμμετρίαν*, ea ad res plane diuersas a mente Spiritus S. detorquerent non semel. Hinc frigidae illae alienaeque saepius veterum allegoriae, praecipue cum & accederet sectariae studium Philosophiae, & neglectus ingens linguarum, quibus prodita sunt mysteria in sacris. Conquerebatur merito GREGORIUS NAZIANZENSIS, (a) praua Peripateticorum & Platoniorum artificia, veluti Aegyptiacas quasdam plagas, in ecclesiam irrepsisse. Conquerebatur & NYSSENSIS, (b) & afficta sermoni genera & species, & differentias & indiuidua, & quidquid praeterea est in Logicorum

C. c

cate-

(a) *Orat. de modesti, in discepti.* (b) *orat. XI.*



categoriis, EVNOMIO suo exprobrabat. Cuiusmodi placitis cum attemperarent mysteria religionis, hinc factum, ut IUSTINVS Martyr, THEOPHILVS Antiochenus, CLEMENS Alexandrinus, TERTULLIANVS rationi, vel ipso Christo in eam conuerso, tribuerent salutem, ORIGENES vero Platonicas illas suas purgationes, & nescio quas reuolutiones, & alia afferret, quorum index est apud HIERONYMVM epistola ad Auitum. Quotusquisque vero literarum, Hebraicarum imprimis, admodum erat gnarus? Sane, cum ab ORIGENE, HIERONYMO, EPIPHANIO, forte etiam ISIDORO Pelusiota & recentiori ADRIANO absceris, commendatores potius earum, quam cultores videntur fuisse. Quam misere hinc IUSTINVS nunquam & TERTULLIANVS disputauerint cum Iudaeis, SCALIGER (a) iam notauit. Multis haec erat communis opinio, quippe a futurorum complemento longius remotorum, finem saeculi iam tum instare, nec diu supra mille annos duraturam esse Christi oeconomiam: unde alteram illam hebdomadam noui testamenti, in septem periodos temporum, dictas PAVLO *αιωνας τους επερχομενους* Eph. II. 7. ab ipso Christo distributam Apoc. VIII. i. ff. IX. i. ff. XI. 15. ignorauerunt, cunctaque traxerunt ad priorem. Quam num ex obscurioribus Apostolorum sermonibus hauserint? ut GROTIUS (b) visum, nihil iam attinet disceptare, cum sufficiat hoc loco, Patres, eo errore imbutos, non potuisse non in Prophetarum scriptis vehementer caecutire. Neque tamen

(a) Excerpt. p 185. (b) Eius sententia Claud. Sarrauius in epist. iniuria videtur in Apostolorum *ἑξήκοντα*.



tamen dubitandum, quin ab Apostolis multa fando acceperint eorum aevo proximi, suisque institutionibus ad posteros transmiserint, nec pauci quoque in id incubuerint sedulo, ut magis magisque paulatim e tenebris eluctarentur. Documenta sane adsunt, quae persuadent, inde a saeculo IV. fata ecclesiae paulatim a nonnullis agnita fuisse, nominatim a PRIMASIO Afro & aliis, qui sabbatimum deinde distinctius coeperunt considerare. Et notus ex EPIPHANIO, HIERONYMO, ISIDORO Hispalensi, SVIDA est ille mos illustrandi sacras literas vetustissimus, quo per notas quasdam iis vel appositas vel insertas, quae latebant, singula demonstrabant, spirituales sensum litera π, figura crucis vaticinationes de Christo, anchorae promissa novi testamenti adnotantes: qua de re consuli DORSCHIEVS (a) potest. Neque inconsulte hic adeo omnes agebant: sed eas ponebant regulas, contra quas maxime impingendo COCCEIVS in tot incidit errores, desultoria expositione vagas allegorias ad aliena detorqueus, & novis unice tribuens, quasi veteribus essent frustra dicta, sensumque proprium reiiciens, ubi minime conueniebat. Contra LACTANTIUS (b) non intelligendis modo Prophetarum vocibus intendere animum, sed & discernere tempora iubebat, quibus singula sunt completa. HIERONYMVS, (c) ubi manifestissima est prophetia, & per translationem historiae verus ordo narratur, superfluum esse docebat tropologiae interpretationem. Diu pensandus est intellectus sacri eloquii, & , ut ait GREGORIUS M. (d) inter textum

Cc 2

tum

(a) *Dissert. Theol. Zach. praemissa* (b) *Div. instit. IV. 5.* (c) *in Zach. XI.* (d) *Moral. XXI. 1.*



tum & mysterium tanta pensandus est libratione, ut utriusque partis lance moderata, hunc neque nimiae diffusionis pondus deprimat, neque rursus torpor incuriae vacuum relinquat. Quia autem initio primaria religionis capita contenti erant simplici & perspicua ratione explicare, literasque adeo conscribebant, non vastos libros magno eruditionis apparatu adornabant, hinc in primorum monumentis ecclesiae Patrum, quae quidem aetatem tulerunt, nonnisi exigua emblematum vestigia comparent. Neque tamen nullam figuris Apocalypseos lucem affundere BARNABAM & HERMAM Pastorem, saeculo statim I. celebres, vel VITRINGAE *ανακρίσις* poterit docere. Saeculo II. pro aevi ratione satis industrii in hoc genere & accurati erant IVSTINVS Martyr, IRENAEVS, TERTVLLIANVS, & qui primo hic nominandus fuerat loco, CLEMENS Alexandrinus. Plus operae impendit MELITO Sardinis, & saeculo III. HIPPOLYTUS Portuensis, qui cum primi omnium, quantum memini, ut eius temporis haereticis obuiam irent, Apocalypseos emblemata, quae tot excitauerant lites, commentariis illustrarint, deplorando literarum fato perditis, in aprico est, non VICTORINVM Petauionensem, utpote multo posteriorem, primum Apocalypseos interpretem fuisse, ut VITRINGA (a) tradit. Nimirum rudes tum emblematum propheti-  
corum erant CAIVS Presbyter & DIONYSIVS Alexandrinus, eoque libentius, ut argute MILLIVS (b) con-  
iicit, auctoritatem Apocalypseos labefactabant, atque a-  
deo reiiciebant penitus: ille, ut contra Cataphryges,  
eorum-

(a) *Anacris. p. 38.* (b) *in Prolegom. n. 230.*



eorumque principem PROCLVM, tanto felicius disputaret, hic, ut NEPOTI Aegyptio satisfaceret, promissiones, sanctis in Apocalypsi factas, de millennii corporeis deliciis proprie exponens eo opere, cui titulum fecit *ελεγχου αλληγοριων*. Qui ut deficiebant, ne ea quidem emblemata agnoscentes, quae aperte posita sunt a Spiritu S. ita ad *αλληγοροκειαν* usque excedebat ORIGENES, Alexandrinae doctor scholae, eo quod esset Platonice tunc eruditus, cuius de instituto legi post H VETIVM potest celeberrimus noster BVDDEVS. (a) Eum nihilosecius, quippe extraordinariis ingenii dotibus excellentem, & quo, ubi bene, nemo rem expediuit melius, certatim saeculo etiam IV. secuti sunt summi viri, HILARIUS Pictaviensis, GREGORIVS Nyssenus, ARNOBIVS, ipseque HIERONYMVS, Judaeo quoque usus doctore. Quibus non impar EPIPHANIVS, *πενταγλωττος* ob quinque linguarum notitiam dictus, tum sylloge interpretum, qui ante ipsum fuerunt, tum historia Prophetarum & libro de XII. gemmis, quae erant in veste Aaronis, satis innotuit. Magis singularia & futurorum symbola quoque plura eodem fere tempore dederunt EVSEBIVS PAMPHILVS, ATHANASIVS, CYRILLVS, Hierosolymitanus, DIDYMVS item Alexandrinus, BASILIVS M. GREGORIVS Nazianzenus, EPHREMVS Syrus, AMBROSIVS, DIODORVS Tarsensis TICONIVS, AVGVSTINVS & JOH. CHRYSOSTOMVS, qui id egere plerique, ut non prophetiarum modo, sed & emblemata historiarum euoluerent cum cura. Neque enim vel probabile cre-

C c 3

de-

(a) *Parerg. Historico-theol. diss. V. p. 143. ff.*



debant, tantam Scripturae partem, quae historiis maxime continetur, aut frustra plane, aut nonnisi ad usus concinnatum esse morales. Idem saeculo V. PHILO Carpathius, SEVERIANVS, CYRILLVS Alexandrinus, ISIDORVS Pelusiota, THEODORETVS, PETRVS CHRYSOLOGVS, PHILIPPVS Presbyter, ANDREAS Caesariensis fecere. Cumque nimium nunnulli lasciuirent in fingendis allegoriis, quemadmodum hic facilis est lapsus animorum, quadam intemperie agitatorum, THEODORVS Mopsuestenus, dum certos voluit limites ponere, ad alterum delatus est extremum, ad censuramque vocatus a reliquis, & damnatus. EVCHERIVS vero Lugdunensis perelegantem nobis dedit librum formularum spiritualis intelligentiae, operibus eius Basileae editis insertum, & a FLACIO quoque clavi Scripturae (a) subiunctum. Triplicem is potissimum regulam proponit, secundum quam coelestis Scripturarum edifferenda sit Philosophia, historiam, tropologiam & anagogen: quibus ultimo loco adiicit allegoriam. Sic coelum ipsi est secundum historiam hoc, quod suspicimus; secundum tropologiam vita coelestis; secundum anagogen angeli; secundum allegoriam denique baptismus. Deserit autem hanc varietatem in ipsa emblematum enarratione, & coelum interpretatur Apostolos siue sanctos, eo quod in iis inhabitet Deus, uti solem Christum, qui fulgeat terris, lunam ecclesiam, stellas denique doctos. Et reiecta est dudum diuisio ista a LVTHERO, (b) quod non conuincat conscientias, sed incertas reddat ac fluctuantes: ipseque BELLARMINVS, (c) alique e recentioribus Pontificiis, conuicti scilicet

(a) p. m. 1751. ff. (b) tom. VI. Altenb. f. 799. (c) de Verbo Dei III. 3.



scilicet a nobis, ad sensum literalem, nisi aliud requirat contextus, respiciendum esse unice nobiscum statuunt, cum non semper constet, an ipse quoque Spiritus S. ea respexerit, quae comminiscitur interpres. Etsi vero haec praeterea ad nostrum propositum omnia non faciunt, multa tamen in ipso occurrunt libro, ratione subnixta, quae nostro possunt usui inseruire. Ea namque potissimum spectamus, quae secundum genium sermonis Hebraei res Christi & ecclesiae regnorumque ac hominum fata, futurasque vicissitudines ac motus in imagine praemonstrant, missis iis, quae hic sibi fingit imaginatio, & ad varios ingenii lusus relegatis. Eo in argumento haut paulo feliciores saeculo VI. fuere CASSIODORVS, IUSTVS Orgellitanus, ARETHAS, PRIMASIVS Afer, ISIDORVS Hispalensis & GREGORIVS M. cuius exstant allegoricae expositiones iunctim editae. Saeculo VII. praeter HESYCHIVM & MAXIMVM Confessorem APONIVS excelluit, qui iam aliquanto clarius Canticum secundum diuersa ecclesiae tempora docuit explicare, \* & IULIANVS POMERIVS, qui statum veteris inprimis oeconomiae pressius descripsit. Quae cum ita adhuc excussa essent, & elaborata, fuere, qui maiorum placita tum compilarent, tum & interpolarent, saeculo VIII. BEDA & AMBROSIVS ANSBERTVS, saeculo autem IV. SEDVLIVS, HAYMO, THEOPHANES & RABANVS MAVRVS, qui fere omnes historiam Scripturae & prophetias commentariis illustra-

\* Idem postea quoque institutum fuit Nic. Lyrani, Jac. de Valentia in Cant. & Georg. Ederi. in Oecon. Bibl. Vid. Gerb. proleg. in Cant. c. VII. §. 9. Heunisch. c. VI.





illustrarunt, allegoriarum plenis. Nec alia post saeculum X. obscurum ratio fere fuit SVIDAE, NICETAE, & THEOPHYLACTI, qui JOH. CHRYSOSTOMVM redegit in epitomen, tum & saeculo XII. ANSHELMI, OECVMENII, RVPERTI Tuitiensis, & RADVLPHI Flauiacensis, qui adeo erudite mytheria Leuitici explicauit, ut etiam praestantissimos nonnunquam exsuperaret. BERNHARDVS in primis, sectator AVGVSTINI, veterum secutus exemplum, pristini illius vigoris aliquot vestigia retinuit, cum caeteri linguarum sacrarum ignari, nugis delectarentur Scholasticorum. Nihilo tamen secius afflictissimis ecclesiae rebus excitati saeculo XIII. Monachi spirituales, libro Apocalypseos recte intelligendo diligentem non minus quam felicem operam nauarunt. Praecipui fuere JOACHIMVS Calaber, & PETR. JOH. OLIVA, tum VBERTINVS Casalensis, saeculo XIV. JACOBVS GRVITRODIVS, saeculo XV. & SERAPHINVS FIRMANVS, saeculo XVI. celebratus. Qui cum Apocalypsin eiusque epistolas de septem variantibus ecclesiae Christi statibus, sibi inuicem successuris usque ad finem mundi, exponerent, non mirum, si pleraque simul emblemata melius prioribus sunt interpretati. Vtrum vero hinc euangelium quoque aeternum Monachorum ex JOACHIMI fluxerit scriptis, ut nonnulli augurantur, non iam disceptabo: consulat ea de re, qui volet, JOH. ANDR. SCHMIDII singularem diatribam. Nobis hic silentio non sunt praetereundae ex saeculo XIV. NICOLAI LYRANI, nati Iudaei, glossae interdum sane appositissimae ad emblemata intelligenda, nec ex saeculo XV. ANTONII  
RAM-



RAMPELOGI, seu, ut in editione Veneta vocatur, RAM-  
 PENGOLI figurae Bibliorum, a Romanensibus quidem  
 prohibitae, nisi corrigantur, sed a nostratibus vel ideo  
 tanto magis aestimatae. Quid saeculo XVI. in hoc ge-  
 nere DES. ERASMVS praestiterit, vel ex eius enarrati-  
 onibus in Psalmos plane aureis elucet, in quibus emble-  
 mata sacra adeo eleganter declaravit, ut cum eruditione  
 facundia certet de principatu. Acrius deinde ad Scri-  
 pturas vocati Romanenses multum huic studio impen-  
 derunt laboris, ut saeculo XVII. LVDOV. AB ALCA-  
 ZAR, CORN. A LAPIDE, & horum similes alii, qui,  
 ut erant politioris literaturae ornamentis instructi, arca-  
 nos saepe sensus haut infeliciter euoluerunt, nisi ubi suae  
 seruiert *UTO SEOR.* SYLV. PETRA SANCTA de sa-  
 cris Bibliorum metaphoris peculiarem dedit librum, sed  
 ad documenta morum maxime respexit: plurima quo-  
 que euoluit JOH. DE LA CERDA in aduersariis sacris,  
 variae opere eruditionis ac doctrinae.

§. 16. Primus omnium e nostratibus ipse statim LV-  
 THERVS emblemata diuina ab humanis purgare in-  
 uentis, & ex ipsis Prophetis solide rursus coepit expli-  
 care, ut integrum ex eius scriptis Lexicon propheticum  
 construi facile ac concinnari posset. Tentauit hoc non  
 sine successu, ut alios nunc mittam, JAC. HERTELI-  
 VS in allegoriarum utriusque testamenti libris II. quos  
 ex omnibus eius operibus Latinis summo studio conges-  
 sit; deinde ERASM. GRVBERVS in collectionum sua-  
 rum loculis ordine primis, secundis & nonis, in quos ex  
 eius tomis Jenensibus Germanicis explicationes contulit  
 tum singularum notionum, inter easque & emblematica-  
 rum

D d rum



rum, tum integrorum oraculorum symbolicorum & imaginum Biblicarum. Hic non solum, quid facies & tergum, & aures, & brachium, risus & increpatio Dei, adscensus & descensus, & caetera, quae pertinent ad *αυθρωποπαθειας*, sed & quid coelum, & mare, & terra, & montes, quid lux & tenebrae, quid ventus, arena, nidus, domus, scipio, sceptrum, cornua, quid calix Domini, quid Israel, Hierosolymae, Zemar, Belial, quid surgere, pacere, saccos induere denotet Prophetis, liquidissime inuenies explicatum. Illic secundum veros notionum significatus integras historias, typice consideratas, actusque propheticos, tum prophetias & parabolas habebis euolutas. Mox tanto excitati exemplo uberius coluere hoc studium, professaque opera id egere nostrates, ut non mysteria modo cerimoniarum ac historiarum, sed & emblemata euoluerent prophetiarum. Quam solide rituum gestorumque omnium intimos adeo recessus ac ad res Christitipicos respectus JOH. SASCERIDES, (a) LVC BACMEISTERVS, (b) WOLFG. FRANZIVS, (c) FRANC. BALDVINVS, (d) MICH. WALTHERVS, (e) SAL. GLASSIVS, (f) VAL. HERBERGERVS, (g) DAN. FESSELIVS, (h) JOH. FRISCHMUTHVS, (i) JOS. ARNDIVS, (k) CHRISTOPH. SONNTAGIVS (l) indagauerint, nemo est facile, qui ignoret. Neque vero in veteri tantum, sed & in nouo testa-

(a) *in orat. de myster. III Patriarchar.* (b) *in explicatione typor. V. T.* (c) *in Schola sacrificior. & histor. animal.* (d) *in Aduentu & passione Christi typic.* (e) *in Spongia Mosaica.* (f) *in Christol. Mosaica.* (g) *in Magnal. Dei.* (h) *in Christo mystico, & regno Christi ac diaboli mystico.* (i) *in vol. diff. passim.* (k) *in Manuali legg. Mos.* (l) *in diff. de moralitate legg. cerimon.*



stamento typos agnouerunt rerum ulterius futurarum, adnotaruntque exempla. LVTHERVS in his totus est; GLASSIVS (a) ficum Matth. XXI. 19. exarescentem excidium populi Israelitici; GERHARDVS (b) ipsum excidium Luc. XXI. calamitates ultimi temporis; BRVNSMANNVS (c) velum templi, moriente Christo scissum, rituum abrogationem, terrae motum, futuras mutationes, lapides dissilientes animorum in conuersione ad Christum scindendorum typum fuisse, docuerunt. Ipsa Vatum emblemata PHIL. MELANCHTHON in Rhetoricis ad classes translationum retulit, ac figurarum: quod institutum postea secuti quoque sunt MATTH. DRESSERVS & CVNR. DIETERICVS. Quin his duobus prior BARTH. WESTHEMERVS integrum fecit librum troporum, schematum & idiomatum, meris exemplis Scripturae illustratorum, eumque exceperunt ABDIAS PRAETORIVS, DAV. CHYTRAEVS & JOACH. ZEHNERVS, quorum ille phrasas Hebraeas uniuerse, iste nominum propriorum expositiones, hic adagia quoque sacra & similitudines Biblicas colligendo, multum singuli contulerunt ad emblematicam doctrinam. Iam tum medio saeculo XVI. illustre exegit opus JOH. DRACONITES, titulo insignitum diuinarum promissionum, figurarum & visionum de Christo eiusque regno. Dicit non potest, quam perspicue ibi ac facunde typos ac emblemata persequatur Christi, quamque diligenter quoque percenseat ecclesiae figuras. Hinc mox erudita JOH. MATHESII Postilla Propheti-

Dd 2

ca,

(a) *Philol. S. lib. 11. p. 416.* (b) *loco de iud. extr. n. 80. Sin Harm. p. 736. 738.* (c) *Sched. Apocal. sched. I. §. 4.*



ca, \* VRB. RHEGII Dialogus Propheticus cum  
 sua Anna in Luc. XXIV. 27. DAN. CRAMERI Scho-  
 la Prophetica, MICH. WALTHERI Spongia Mofai-  
 ca succedere, eximia sane scripta, expositionibus typi-  
 cis & emblematicis refertissima. Quominus autem a ve-  
 ra tum emblematicarum tum propriarum quoque vo-  
 cum aberraretur significatione, iam tum MATH.  
 FLACIVS cauere studuit Clavis Scripturae, aurei volu-  
 minis, parte II. utpote in qua difficiliore omnes, nulla  
 temere omiffa, fecundum ordinem elementorum La-  
 tinae linguae explanauit, longaque exemplorum illu-  
 ftrauit inductione. Multo iucundiori ad captumque  
 cuiusuis accommodatiori ratione hoc egit MICH. SA-  
 XO edito libello quaestionum Biblicarum, pio sane &  
 eleganti, ut SELNECCERVS (a) iudicabat, & GAL-  
 LVS, (b) in quo dum res plerasque in Scripturis me-  
 moratas, coelestes terrestresque pariter, historice & my-  
 ftice confiderauit, pulcherrimas passim obseruationes  
 myfticas quoque adfperfit. Mox BALTH. MEIS-  
 NERVS (c) tum alias tum & emblematicas notiones,  
 ut PRVCKNERVS, KOENIGIVS, HELVICVS, inte-  
 gras orationes emblematicas, in scriptis Prophetarum &  
 Apostolorum obuias, aduersus alienorum a nostra reli-  
 gione corruptelas vindicarunt. Sed iam SAL. GLAS-  
 SIVS me vocat, cuius metaphorae & anthropopathiae  
 fecundum naturam rerum ex Scripturis collectae & ex-  
 positae,

\* Iftiusmodi quoque Postillas postea dedere Sachsius, Glassius,  
 Hahnus, Bakius, eiusque imitatores magno numero. (a) in ep.  
 ad Saxonem libelli part. I. praemiffa. (b) in praef. (c) Philos. sobr.  
 part. II. sect. 1.



positae, si secundum seriem literarum ad usum aptio-  
rem ordinarentur, dubito, an exteri similem possint o-  
stentare thesaurum, tam opulentoque obseruationum  
apparatu instructum. Nam etsi translationes uniuersae  
persequitur, nec unice emblematum habet rationem,  
horum tamen ea est indoles, ut non secus splendeant, ac  
luna inter stellas minores, facileque adeo dignoscantur.  
Multa quoque DAN. FESSELIVS admonuit in Aduer-  
sariis sacris, quae possint has diuitias mirifice augere,  
& JOH. HENR. VRSINVS in Analectis symbolicis:  
qui & plantas & arbores descripsit, \* in Scriptura me-  
moratas, ut BVSTAMANTINVS & BOCHARTVS  
animalia, \*\* RVEVS & BACCIVS gemmas, alii  
alia, a quibus emblemata sumuntur. CASP. FINCKI-  
VS autem professa opera in eo maxime elaborauit, ut eas  
voces, quarum imprimis intellectus ex Hebraismo pendet,  
explanatas daret: hinc earum indicem, ex opere Com-  
pluteni concinnatum, edito ab se Clauis Scripturae inseruit,  
qui ex eiusdem Canonibus Scripturae S. in multis potest  
suppleri. Praetermitto plures alios huius generis scri-  
ptores: JOH. BRVNSMANNVM praetermittere non  
possum, qui in Schediasmatibus suis Apocalypticis (a)  
& breuenobis Lexicon Apocalypticum dedit, praeci-  
puarumque eius libri imaginum atque vocum abstru-  
siores significatus conspectui exhibuit, quae aliis erudi-

Dd 3

tis

\* Has quoque Lemnius & Coquiùs descripsere \*\* Consuli quo-  
que merentur, quae ad Franzium adnotauit Cyprianus, & epitome  
Maii. Baruch Loth Pomelius speciatim de cerui significatione hiero-  
glyphica scripsit. Aug. 1600. 4. (a) sched. III. p. 46. ff.



tis incitamento essent, ut plures congerere laborarent. Quo in argumento non parum iam tum JOH. SASCERIDES, ERASM. SCHMIDIVS, JOH. CLVVERIVS, JACOB. DVRFELDVS & pauci alii praestiterunt, qui in Canticum & Apocalypsin sunt commentati: praecipue vero SANDHAGENIVS quondam noster in erudita epistola ad Abbatissam Heruordensem caeterisque epistolis passim, HEVNISCHIVS item & DVRERVS & alii commentatores. Quis enim eos digne in hac angustia percereret, nedum discerneret ab inuicem rite, & ex merito diiudicaret? id quod alii referuo occasioni.

§. 17. Ad exteros ubi respicimus, omnium primum se nobis offert Venerabilis ille Anglorum BEDA, qui iam tum saeculo VIII. de schematibus & tropis utriusque testamenti integrum conscripsit librum. Post multas inter ecclesiae reique publicae mutationes suas quoque hoc genus studii habuit vicissitudines ac fata varia, plurimis Therapeutarum more ad moralia magis quam prophetica respicientibus mysteria. Fuere tamen, qui dum vel Canticum canticorum, Apocalypsin aliasque interpretarentur prophetias, ut BRIGHTMANNVS, COTTONVS, MEDVS, vel typos & parabolas explicarent, ut BOGERIVS, SEDGEVICIVS, SHEPHERDVS, TAYLOR, eo ipso simul non parum lucis emblematicis affunderent. ARCHIB. SIMSONIVS Scotus speciatim hieroglyphica animalium excussit, quorum in Scriptura mentio occurrit; FRANC. POTTERVS mysterium celebris illius numeri 1566 exquirit; NIC. FVLLERVS in miscellaneis ex sacrarum indole literarum multa feliciter eruit. Latius deinde progressi



gressi THOM. GATAKERVS, JOH. DOVGTAEVS & alii exotica quoque, velut spolia Aegypti, ad di-  
 tandum Dei templum attulerunt, multaue emblemata,  
 quorum ex ritibus maxime cognitio pendet, in clara  
 luce posuerunt. Attulit huc quoque aliqua ED. LEIGH  
 in Critica sacra, nisi quod nonnulla ad Caluinianum tra-  
 hat sensum, quae singulari dissertatione GRAPIVS no-  
 tauit. Praecipue vero nostro inseruit instituto HENR.  
 MORVS, acri praeditus ingenio, & admodum viuaci,  
 sed PLATONI, ut constat, addictior. Eius inter opera  
 alphabetum iconis minorum prophetarum reperitur, in  
 quo ipsum nonnunquam ACHMETEM filium Seirim,  
 somniorum coniectorem, in partes suas vocat, persuasus  
 quippe, etiam imagines somniorum, ad genium morem-  
 que hominum ad orientem intellectas, ad cognitionem  
 sacrorum emblematum conducere. Sic & apud Pro-  
 phetas & ACHMETEM sepulturae priuatione docet  
 spem reuiuiscendi Apoc. XI. 9. carne aurum opesque Apoc.  
 XVII. 16. nauis coetum sacrum adumbrari Apoc.  
 XVIII. 19. quae quidem interpretatio ab extremis usque  
 Indis est petita. Sed cum huius libri adeo exiguum sit  
 fragmentum, ut nonnisi sex plagulis contineatur, neque  
 adeo sufficiat desiderio huius doctrinae studiosorum, in  
 Belgio istiusmodi lexicon hieroglyphicum molitus fuit  
 JAC. LYDIUS, ecclesiastes Franequeranus, vir summi  
 iudicii summaeque doctrinae, & si quis alius, ad hoc o-  
 pus omnium maxime idoneus. Quo tam diu desidera-  
 to ab eruditis thesauro ut bearentur homines, etsi tam  
 serio vouebat JOH. D'OVTREINIVS, (a) qui & ipse  
 spe-

(a) *Isac. in Cant. Sal. p. 166.*





specimina nobis dedit emblematum propheticorum, eorum quippe, ut ex commentariis apparet, callentissimus, spem tamen istam praeceps viri fatum interuertit. Nec dubium est, quin ad hunc respexerit SAL. TILLIVS, ita scribens: (b) *Optandum esset, ut quis systema aliquod emblematicum ex probatis autoribus conficeret, in quo omnium typorum & dictionum metaphoricarum ratio exponeretur: quod ordine alphabetico nuper tentauerat vir probatae fidei, pietatis & eruditionis, qui multa in eum finem collegerat, sed eheu! immatura morte nobis ereptus est.* Quare denuo in Antidoto aduersus IONCVRTIVM (c) virum quendam prudentem & doctum desiderat, qui lexicon aliquod emblematicum facrum elaboraret, & quae in eorum significatibus, olim quidem receptis, at nunc minus cognitis, occurrunt difficultates, eas remoueret: quo aliquid conferre forte an possent lexica MERCERI, COCCEII & GVSSERTII. Mox illi successit, ab eoque sibi lampada traditum esse existimauit HENR. GRONEWEGENIVS, magnoque cum apparatu hieroglyphica seu emblemata sacra coepit explicare. Sed & ipse primum controuersia cum BALTH. BEKKERO impeditus, cuius tum forte edito Mundo fascinato anno clō 1692. Pneumatica sua opposuit, deinde ex nec opinato coetui uiuentium subductus, telam plane pertexere haut potuit, cuius tamen pars praecipua anno clō 1693. Germaniceque versa anno clō 1697. prodiit. Tandem anno clō 1698. NICOL. GVRTLERS, Theologus Dauentriensis, id effecit, ut ne vocum typico-  
pro

(a) *Alloquio ad studiosos literar. Dordracenos, methodo concionandi praemisso.* (b) c. VI. §. 2. p. 59. f.



propheticarum perfectiori quadam explicatione diutius careremus. Qui dum ex vetustis nonisque interpretibus in Prophetas, COCCEIO in primis, & caeteris apud POLVM suas decerpfit expositiones, ipsis etiam nostratibus in partes vocatis, viam quidem nobis patefecit, qua progressi selectissimas conquirere opes, & in suas classes possumus disponere. Sed quia nullo fere praeterea subsidio est usus, festinantiusque expediuit opus, & ubicunque fereres altioris indaginis occurrit, in dubio reliquit lectorem, nondum hunc laborem adeo exantlavit, ut non opus sit eius collectioni plurima adhuc addere, quo plenum tandem lexicon euadat. Hic campus patet industriae studiosi, in quo profectui locus relinquatur, & ut recte TILLIVS ait, (a) spes magna insignioris lucis, ultimis temporibus ab ipso promissae Deo Dan. XII. 4. Zach. XIV. 7. Neque enim omnia iam nunc ad liquidum esse deducta, vel solum nos conuincit templum EZECHIELIS, cuius expositionem posteris reliquit LV THERVS, (b) & HAFENREFFERVS postea haut infeliciter tentavit.

§. 18. Multa praeterea mutanda sunt & emendanda in iis, quae ab aliis institutione & libris ad nos transmissa accepimus, quemadmodum haut pauca iam correxere maiores nostri, eoque calcar nobis addidere ad ulterius profequendum cursum. Errarunt pridem Judaei, errarunt Patres ecclesiae Christianae, & Reformati & Pontificii doctores varie: (homines enim fuere omnes) sed nulli postremis turpius, nulli errarunt inconsideratius. Perpendamus incredibiles illas corruptelas, quibus diuinissima olim emblemata conspurcarunt. Ad verba Gen.

Ee

I. 9.

(a) *Antid.* p. 66. (b) *praef. in Ezech. fin.*



I. 9. Arida vocavit Deus terram, congregationem vero aquarum Maria, notate, inquit PELBARTVS, (a) verba, signate mysterium! Quid est enim congregatio aquarum, nisi congregatio gratiarum in unum locum, id est, virginem Mariam? Verba DAVIDIS Ps. VIII. 9. Tu Deus subiecisti sub pedibus eius, Orator Florentinus coram Pio II. sic explicuit: sub pedibus eius, id est, Papae, oves, id est, fidelium animas; boues, id est, elatos Hebraeorum, iugo literae legis adscriptos, & inde victimandos; pecora quoque campi, id est Ethnicos & iniquos; volucres coeli, id est viros beatos, ut adorentur a cunctis, Sanctorum catalogo adscribendos; pisces maris, id est, animas defunctorum, ex aquis poenalibus per indulgentias educendas. Plura huius generis WALTHERVS, (b) ubi percenset modos X. Pontificiorum adulterandi Scripturam, & FINCKIVS (c) conferunt in cumulum, de quibus quis merito cum Poeta exclamaret: spectatum admiffi risum teneatis amici. Speciatim BELLARMINVS  $\Psi$ ΥΝΩ Genes. XXXVII. 35. (d) &  $\chi$ ασμα Luc. VI. 26. (e) interpretatur limbum infernalem, & per templum in scriptis novi testamenti nunquam intelligi ait ecclesiam Christi, sed perpetuo templum Hierosolymitanum. (f) Praetereo caetera, quae ad errores suos palliandos etiam CORN. A LAPIDE & alii ineptissime trahunt, a nostratibus satis iam explosa. Id nunc tantum miror, istiusmodi emblematum  $\Psi$ ΥΝΩ Genes. XXXVII. 35. ab iis ad nos usque propagatas per communes Postillatores, nonnunquam a doctis etiam posse defendi.

(a) in *Stellario coronae B. Virginis lib. VI. part. 2. art. 1.* (b) *praef. ad Harm. Bibl.* (c) *Clau. Script. c. VIII. p. 55. f.* (d) *de Christo IV. 10. f.* (e) *l. c. c. 11. coll. 540. D.* (f) *de R. P. III. 13.*



di. Jam antea a me dictum, quam falso plerumque explicent illud de calcatione torcularis Ef. LXIII. 3. de iniquo dispensatore Luc. XVI. 1. de cadauere & aquilis Luc. XXIV. 28. de signis item in sole luna & stellis ibidem v. 25. ff. Notum de tortore damnatorum Matth, V. 25. qui ipsis fere plerumque est diabolus: quasi vero per iustitiam diuinam fors deceptoris melior esse possit forte deceptorum, nec diuersa esset ratio temporum μακροθυμίας diuinæ, & alterius saeculi, ut ratiocinatur DANNHAVERVS, (a) qui ipsam potius Christum docet intelligendam esse, consentientemque sibi CHEMNITIVM, (b) GERHARDVM, (c) & SCHMIDIVM (d) allegat, quod etiam LOESCHERVS (e) obseruauit. Quin & ESR. RVDINGERVS, (f) Philologus quondam Wittebergensis, monuerat pridem cauendum, ne a deo temere Satanam Dei iussu punire homines statueremus, quod primum ab autore Asceticorum, inter BASILII scripta conspicuorum, quae teste SOZOMENO a quibusdam relata sunt ad EVSTACH. SEBASTENVM, traditum esse obseruauit. Restant & alia multa, ut cum prima hora in vineam vocatos Matth. XX. 2. vel Patriarchas ante diluuium, vel infantes in ecclesia natos; denarium vitam aeternam; somnium Joh. XI. 11. mortem piorum; chirographum Col. II. 14. conscientiam interpretantur. Sed haec & alia nunc mitto, cum ea prope diem adnotationibus errorum postillatorum sim inferturus, ex quibus, quanta quam-

Ee 2

que

(a) *Laët. Catech. part. VI. p. 730. & Hodof. phaen. XII. p. 1505. Theol. symbol. part. I. p. 1015.* (b) *Harm. c. XCIII. p. 1765.* (c) *loco de morte aeterna §. 73.* (d) *in der Christl. weisheit conc. XII. p. 911.* (e) *Scylla & Charybdi §. 21.* (f) *in Ps. LXXVIII. quae disputatio eiusdem σχολοπι subiuncta est p. 233. ff.*



que incredibilis multorum incuria fit, ad oculum ostendetur.

§. 19. O quanto diligentius pridem LV THERVS noster versatus est in emblematis rite exponendis! De quo ne quis dubitare amplius queat, nonnulla nunc specimina adducam, ordine elementorum Latinorum disposita. *Aquae* secundum ipsum in Scripturis passim calamitates denotant humanas, ut apud DAVIDEM Pf. XLII. 8. LXIX. 2. f. & qui has adferunt, ingentes populos, ut apud ESAIAM VIII. 7. (a) *Brachium* Dei propriam eius potestatem signat, quae operatur interiorius, nemine aduertente, ut apud ESAIAM LIII. 1. & LVCAM in oratione MARIAE l. 51. (b) *Calix* Jehouae certam indicat siue felicitatis siue miseriae & poenae portionem, cuius a Deo ad mensam, ut apud DAVIDEM Pf. LXXV. 9. CXVI. 13. JEREMIAM XXV. 15. ff. & HABACVCVM III. 16. (c) *Domus* Dei est ecclesia, in qua Deus habitat per verbum, ut apud DAVIDEM Pf. CXVIII. 26. & ZACHARIAM. I. 16. (d) *Edom.* apud ESAIAM LXIII. 1. Synagoga est Judaeorum, Prophetarum & Christi ipsius sanguine commaculata. (e) *Filiae*, ex genio linguae Hebraeae, incolae sunt ciuitatum, & vici eo pertinentes, ut apud MOSE N in vaticinatione JACOBI Gen. XLIX. 22. JOSVAM XV. 45. & deinceps passim, ZACHARIAM II. 7. 10. & alios. (f) *Germen* uniuerse sunt liberi, e parentibus velut e stirpe prognati, in primis vero Christus, qui e succiso Isai trunco radicibusque effloruit, ut apud ESAIAM XI. 1. & JEREMIAM XXIII. 5. (g) *Hiero-*

*solyma*

(a) tom. I. Jen. Germ. f. 100. a. VII. f. 348. a. (b) tom. I. f. 467. b. (c) tom. III. f. 277. a. V. f. 158. b. VII. 348. a. (d) II. f. 203. a. 258. b. V. 107. a. (e) comm. in Es. LXXII. (f) II. 265. a. (g) tom. III. 463. b.



*Solyma* passim imago est ecclesiae, ad quam clementer respicit Deus, secundum DAVIDEM Pf. XXXII. 8. (a) *Israel* autem ciuium eius, ad Deum conuersorum, & ad eum fideius habentium, quo omnia possunt, luctantesque adeo cum ipso vincunt, exemplo Jacobi apud MOSEN Gen. XXXII. 28. & LVCAM in oratione MARIAE I. 54. *Da ist viel von zu sagen*: (ita scribit LV THERVS) denn es ist *Israel* ein seltsam hoch mysterium (b) *Lux* apud Prophetas est euangelium, orta que inde hilaritas animi, Deum in Christo propitium agnoscentis, laetantisque, ut apud DAVIDEM Pf. XXXVI. 10. CXII. 4. & ESAIAM IX. 2. ac alibi passim. (c) *Montes* regna sunt & res publicae apud DAVIDEM Pf. LXV. 7. & JEREMIAM. LI. 25. (d) *Nidi* arces sunt Prophetis, & sedes sublimes tyrannorum, ut apud OBADIAM v. 4. & HABACVCVM III. 9. (e) *Oculus* terrae, oculus hominis seu facies exterior est forma utriusque, ut apud MOSEN Ex. VIII. 24. DAVIDEM Pf. VI. 8. & ZACHARIAM V. 6. (f) *Pascuum* est praedicatio euangelii, quo aluntur animae, & pinguescunt, ut apud DAVIDEM Pf. XXIII. 2. & PETRVM I. ep. V. 2. (g) *Quaestuofus* seu diues is vocatur, qui, licet vel maxime pauper sit, opum tamen terrenarum usque adeo auidus est, ut iis satiari se haut posse putet, neque adeo diuitiarum coelestium cupidine afficiatur, ut apud MATTHAEVM in oratione CHRISTI montana V. 3. & JOHANNEM Apoc. III. 17. (h) *Risus Dei*

(a) I. 457. a Conf. contra Pontificiorum vagas allegorias tom. IV. Altent. f. 799. (b) tom. I f. 472. a. 510. a. (c) tom. II. f. 399. b. 400. a. III. f. 192. a. b. gloss. in Pf. XXXVI. 10. CXII. 4. (d) tom. VI. f. 131. a. (e) tom. III. f. 273. b. (f) tom. IV. f. 285. b. (g) tom. II. f. 372. a. V. f. 341. b. (h) tom. V. f. 370. b. 371. a.



Dei contemptum significat hostium euangelii, caput coelo obuertentium, ut apud DAVIDEM Pf. XXXVII. 13. (a) *Sceptrum* regni Christi est illud ipsum euangeli verbum, quod velut signum commonstrat Christi regnum, ut apud eundem DAVIDEM Pf. XXIII. 4. XLV. 7. CX. 2. cuius & typus fuit baculus MOSIS & ille ZACHARIAE XI. 7. (b) *Tenebrae* iram Dei designant, miseriamque hominis, a Deo auersi & a rebus diuinis, ut apud DAVIDEM Pf. XLIV. 20. & ESAIAM IX. 2, (c) *Venti* terrae, quae quatuor memorantur in Vatum monumentis, quatuor sunt orbis plagae, ut apud ZACHARIAM II. 6. & MATTHAËVM XXIV. 31. quin & absolute positi sunt angeli, iugiter coram Deo apparentes, velociterque exsequentes iussa eius, vt apud DAVIDEM Pf. CIV. 4. apud ZACHARIAM VI. 5. vero sunt, vt putat, Apostoli Christi, Spiritusque in eis: (d) cuius definitio opinionis cum sit aliquanto altioris indaginis, hic iam non expedietur. *Zemab* denique apud eundem ZACHARIAM III. 8. VI. 12. nomen est Christi, ita appellati, quod sine intermissione in euangelio praedicatur, per illudque in mundo usque incrementa capit, id quod LVTHERVS ex ESAIA IV. 2. & JEREMIA XXXIII. 15. pulcherrime declarat. (e) Haec itaque & talia iam tum diuinus ille Heros explicata dedit, feliciterque adeo praemonstrauit viam, qua pergere nos decebat, ulteriusque proferre gradum. Nullus ne enim, quae-so, in ecclesia Christi profectus habebitur cognitionis?

Ha-

(a) tom. I. f. 543. b. (b) tom. I. f. 93. a. IV. f. 318. b. (c) tom. III. f. 192. a. gloss. in Pf. XLIV. 20. (d) tom. IV. f. 264. b. & 289. a. b. (e) tom. IV. f. 289. a. gloss. in Zach. VI. 12.



Habeatur plane, (utor VINCENTII Lerinensis (a) verbis)  
 Et maximus. Nam quis ille est tam inuidus, hominibus, tam  
 exosus Deo, qui istud prohibere conetur? Crescat oportet,  
 Et multum vehementerque proficiat, tam singulorum, quam om-  
 nium, tam unius hominis, quam totius ecclesiae aetatum ac  
 saeculorum gradibus intelligentia, scientia, sapientia. Mul-  
 tum interest inter pueritiae florem Et senectutis maturitatem.  
 Multa LVTHERVS inuestiganda posteris reliquit,  
 quemadmodum & Judaei plurima in dubio relinquunt,  
 ab ELIA, ut sperant, olim extoluenta. (b) Qualia cum  
 paulatim magis magisque in aprico ponuntur, indi-  
 gnum sane est, ea promiscue hoc solo nomine suspecta  
 reddere erroris, quod sint noua. Neque enim in his  
 tam respicitur, quid sit antiquum vel nouum, quam  
 quid verum sit, vel falsum, nec magis falsitas nouitate,  
 quam veritas probatur antiquitate, cum etiam antiqua  
 esse possit ignoratio vel error. Id modo caueatur, ne  
 profectus cognitionis degeneret in fidei permutationem,  
 sed vna ac eadem de fundamentis religionis, a Viris  
 Dei ad nos traductis, sententia permaneat, sanctaque  
 ac inconcussa conseruetur.

§. 20. Vt autem verus huius studii usus appareat  
 cuius, huic iam operi coronidem imponemus illustri  
 emblematicae orationis exemplo, quod ex panegyri-  
 ca illa prophetia psalmi XLV. petetur. Horreo equi-  
 dem, cum cogito, eo usque temeritatis procedere non-  
 neminem potuisse, vt eum, de naturali coniugio Salomo-  
 nis cum Aegyptia expositum, anno huius saeculi VII. ad

(a) *Commonit. I. aduersus haer.* 28. f. (b) *Halich. Olam. p.* 17.  
 18. 223. f.





connubium Heredis Borussiae, FRIDERICI WILHELMII, cum Principe SOPHIA DOROTHEA accommodaret: nam de Judaeis & Socinianis hoc non foret adeo mirum. Sed eum mox vir summus, POLYC. LYSE-RVS, (a) Christo eiusque ecclesiae solide vindicauit, quorum inprimis mystica coniunctio hoc psalmo celebratur. Vid. 2. Cor. XI. 2. Eph. V. 32. Et sunt sane multo augustiora praedicata, multo sanctiora, quam ut Salomoni in proprio plenoque sensu vere recteque competere omnia possint. Neque enim is pulchrior mortalibus uniuersis effectus, neque prosperatus in perpetuum, neque ad solium euectus dici poterat, duraturum in omnem aeternitatem. De Christo autem cantatum esse psalmum, testis omni exceptione maior est ipse Spiritus S. cum Hebr. I. 8. ad Filium Dei dictum esse docet. Cum itaque emblematica hic sint omnia, eorum iam suppeditare conabimur clauem, cuius ope latentes mysteriorum sensus certo possint referari.

*Stylus scribarum*, antiquum scribendi instrumentum Job. XIX. 23. s. usitatum Prophetis. Es. VIII. 1. lingua est Virorum Dei, quatenus ea quidem humano more, sed accurate tamen exprimit diuinam mentem, hominumque animis velut tabulis insculpit. 2. Cor. III. 2. coll. Ezech. XI. 19. XXXVI. 26. Aug. de D. C. III. 34.

*Sponsus regius* est Messias Cant. I. 4. & passim, Matth. IX. 15. Joh. III. 29. Apoc. XIX. 7. qui & Dominus simul est sponsae v. 12. Es. LIV. 5. Hof. II. 19. s.

*Pulchritudo* eius, Cant. V. 10. s. distinctius picta, sanctitatem Christi hominis atque adeo diuinitatem signat. Hebr.

(a) in epistola apologetica & vindiciis Hannover. an. 1707.

Hebr. VII. 26. Geminatio primarum radicalium in פִּיפִּי  
 summam indicat esse formositatem. Aben Esra & Kim-  
 chius in h. l. Vid. de ea Sandenius peculiari dissert. Re-  
 giom. 1711.

*Gratia labiorum* eius Cant. V. 13. 16. sunt pulchri ser-  
 mones Gen. XLIX. 21. qui fluxerunt ab humano eius  
 ore Cant. I. 1. Es. XL. 5. ut: Quaerite me, & viuetis  
 Am. V. 4. Sic viuum ego, ut morte impii non delector.  
 Ezech. XXXIII. 11. Si ab impietate sua is recesserit, vi-  
 uet, ibid. v. 19. ut eximie in libro Rabboth explicatur.

*Gladius* Messiae alias est verbum eius, hic vero,  
 quia in humili eius statu gratia labiorum, in glorioso ve-  
 ro sceptro illud designatur, secundum ordinem oecono-  
 miae est vis eius morte fundata, qua daemonem aboleuit  
 Hebr. II. 14.

*Decor* Messiae & maiestas maxime apparuit, ex  
 quo ad dextram euectus Dei, regnavit verbo & iudiciis,  
 hostesque deuicit, & sub potestatem suam misit Ps. VIII.  
 6. coll. Hebr. II. 9. Ps. XCIII. 1. LIV. 1.

*Sagittae* poenae sunt & calamitates naturales vel  
 spirituales, quibus compestit rebelles. Ps. VII. 14. LXIV.  
 8. CXLIV. 6.

*Solium* Messiae est coeleste regnum. Job. XXVI.  
 9. Es. LXVI. 1.

*Sceptrum regni* est verbum Messiae Ps. XXIII. 4. CX.  
 2. quo tanquam signo exterius docet, ubi sit suum re-  
 gnum, interiusque animos regit. Eius aequitas Ps.  
 LXXII. 12. & Es. XI. 3. ff. exponitur.

*Unctio* eius collationem Spiritus S. & potentiae in-  
 dicat Es. LXI. 1. Act. X. 38. quae ei sine mensura con-  
 tigit Joh. III. 34. ut haberet pro suis dotes i. Joh. II. 20. Vid.  
 de ea Schmidii & Velthemii integrae dissertationes.

Ff

Oleum



*Oleum alacritatis* est ipse Spiritus, exhilarans animum, obfirmansque ad alacriter aggrediendum urgendumque opus redemptionis, ultimumque adeo certamen. Vid. Pf. LI. 14.

*Socii eius & confortes* sunt primum Legati ipsius, tum & caeteri omnes, pro quibus accepit dotēs. Vid. Pf. LXVIII. 19. Ef. LXI. 1. 3.

*Vestes Messiae* sunt humana eius natura, & eiusdem participes pii, qui quasi vestes adhaerent Christo. Ef. LXIII. 1.

*Myrrha* separatim est amara & simul suavis crux, eiusque salutaris recordatio Cant. I. 13.

*Myrrha, aloe & casia* perfectam Christi hominis obedientiam usque ad crucem, ac tolerantiam omnium aduersitatum multiplicesque signat dotēs, cum ipso ciuibus communes, quippe a capite ad membra derivatas. Vid. Cant. I. 3. 12. 13. 14, V. 13. Kimchius in h. l. & ipse de omnibus bonorum operum generibus exponi posse docet.

*Filiae Regum* sunt ecclesiae e Regum familiis & populis per orbem Pf. LXXII. 10. 1. Cant. VI. 8. Ef. XLIX. 22. ff. LX. 10. ff.

*Pretiosa* Christi deliciaeque eius sunt ipsa hereditas eius, populi hominesque ab ipso redempti Pf. II. 8. XVI. 6. Ef. LIII. 12. cum quibus olim gloriosus apparebit.

*Augusta sponsa*, una illa columba Christi Cant. VI. 8. non cathedra est Petri, ut vult Corn. a Lapide, sed ecclesia electorum ex omnibus gentibus, coniugio cum Christo domina constituta & coeli heres Cant. I. 4. VI. 12. VII. 1. Ef. XLIX. 18. Joh. III. 29. Eph. V. 23. Apoc. XIX. 7.

*Aurum Ophirinum* fides salutaris, meritum & iustitiam Christi amplexa. Pf. LXXII. 15. Ef. LX. 6. 1. Petr. I.



7. Apoc. III. 16. Vid. oratio Til. Heshusii ad quaestio-  
nem Hieron. Peristerii de veste nuptiali Jen. 1570.

*Filia simpliciter ecclesia est ex Israele, quae obliuisci  
debet gentis suae & externae praerogatiuae Rom. IX.  
3. ff. Gal. III. 28. Eph. III. II. ff. Col. III. II. exemplo Pauli  
Phil. III. 8.*

*Venustas eius, Cant. IV. I. ff. ampliter descripta, non  
solum iustitia est Christi, fide ei imputata, sed & sancti-  
tas vitae, a Spiritu eius in ipsa effecta. Eph. V. 27.*

*Filia Tyri ecclesia ex gentilitate, exclusa olim a ci-  
uitate Israelis Eph. II. 12. cuius ad occidentem terrae Cha-  
nanaeae Tyrus quasi metropolis fuit Es. XLIX. 21. No-  
minatur haec potissimum ciuitas ob vicinitatem.*

*Munus earum est grata ac constans confessio euang-  
gelii usque ad mortem, operaque ea digna Ps. LXXII.  
10. Es. LX. 6.*

*Diuites populi proprie opulentos ad Christum addu-  
ctos Ps. LXXII. 10. 15. Es. LX. 6. translate vero & hos &  
caeteros noui testamenti signant fideles, iustitia Christi  
exfatiatos Matth. V. 6. coelestibusque ditatos thesauris  
Matth. VI. 20. I. Tim. VI. 19. Apostolos inprimis & do-  
ctores Matth. XII. 35. 2. Cor. IV. 7. Hic quia & notio mu-  
neris est emblematica, translatus significatus, ut amplior,  
sic contextui est conuenientior.*

*Vestis interior sponsae, segmentata auro, Cant. IV. II.  
Es. LXI. 10. Ezech. XVI. 10. Matth. XXII. II. Luc. XV.  
22. Apoc. III. 4. f. 18. XVI. 15. XIX. 8. hic perfectionis  
caussa repetitur, & ob connexionem cum sequentibus.  
Vid. de hac dissertatio nostra ad Matth. XXII. II. ff. de  
homine nuptiali veste non induto, tanquam imagine An-  
tichristi §. 7. ff. inprimisque §. 10. ff.*

Ff2

Vestes



*Vestes Phrygiae* non sunt vanae ceremoniae, ut Pontificii volunt, sed variae varia inter fata casusque dotes Spiritus Christi Cant. I. II. IV. 9. Pf. CX. 3. Apoc. XXI. 2. indeque efflorescens integritas piorum in factis conspicua. Vid. Pier. Hieroglyph. LX. & dissertatio indicata §. 8. ubi distincte ostendimus, in statu irae nil nisi vestem iustitiae Christi fide acceptae placere Deo, deinde vero in statu gratiae, & grati animi pietatem accedere, per quam efficax est fides Gal. V. 6.

*Virgines eam sequentes & sociae eius* sunt, quae primae ecclesiae vestigia legentes, cum falso sponso & adultero Antichristo non fornicatae Apoc. XVII. 2. soli Christo constanter adhaeserunt Apoc. XIV. 4.

*Palatium Regis* ac templum est coelum seu ecclesia, hic militans, illic triumphans. Matth. XXV. 10. 46.

*Principes* vocantur pii, ecclesia matre geniti, quia cum Christo regnant, Apoc. XX. 6. hostesque internos externosque vincunt feliciter. 1. Petr. I. 15. Apoc. I. 6. V. 10.

Jam interpretationem contextus tentet quilibet, & videbit, quam apte post titulum psalmi v. 1. & propositionem v. 2. persona primum Regis Christi v. 3. deinde certamen v. 4. ff. & occupatum gloriose regnum v. 7. ff. tum sancta quoque familia praedicetur v. 10. ff. donec conclusione de gentium conspiratione in obsequium eius v. 18. finitur prophetia, toto SALOMONIS cantico, velut iusto ipsius Spiritus S. commentario, explicata. Ipse autem Deus sui nos illustret luce vultus, ut puro & praeiudiciis brutisque affectibus libero mentis oculo ipsius in lumine videamus lumen, quod ad vitam praelucet sempiternam!

INDEX





# INDEX I. DICTORVM CVRA- TIVS EXPOSITORVM.

GEN. I. 2. p. 196.

3. p. 31.

9. p. 217.

XI. 1. p. 39. 183.

XLI. 45. p. 41.

XLIX. 10. p. 195.

NVM. XXI. 28. p. 195.

2. SAM VII. 15. p. 182.

XXII. 8. p. 60.

JOB. XIX. 21. p. 65.

PS. I. 3. p. 186.

II. 7. p. 148. f. 143.

VIII. 8. f. p. 218.

XX. 3. p. 18.

XXII. 17. p. 172.

XXIV. 1. f. p. 73.

XLV. per totum p. 223. ff.

6. p. 109.

7. p. 14.

LI. 8. p. 37.

20. p. 109.

LXXVIII. 2. p. 53.

CX. 2. p. 14.

PROV. XXV. 2. p. 35.

CANT. I. 8. p. 170.

9. p. 171.

VI. 9. p. 167.

ES II. 2. f. p. 103.

4. p. 65.

V. 2. p. 158.

VI. 9. f. p. 38.

VII. 20. p. 89.

VIII. 1. p. 78. f.

XI. 6. ff. p. 103.

XIV. 8. p. 15.

12. p. 164. 184.

XXV. 6. p. 44.

XXXII. 2. p. 169.

LIV. 11. p. 37. 103.

LVI. 10. ff. p. 172.

LX. 7. p. 156.

LXIII. 1. ff. p. 113. 150. 168.

220.

LXIV. 4. p. 51.

LXV. 9. p. 104.

17. p. 139.

25. p. 103.

JER. XXXI. 38. ff. p. 90.

Ef 3

XLVIII.



# INDEX.

- |  |  |
|--|--|
| <p>             XLVIII. 17. p. 195.<br/>             EZECH. XX. 47. p. 170.<br/>             XXXVI. 17. ff. p. 182.<br/>             HOS. II. 18. p. 104.<br/>             JOEL. II. 28. p. 24. f.<br/>             AM. VIII. 1. f. p. 7.<br/>             IX. 11. p. 94. ff.<br/>             MICH. I. 11. ff. p. 168.<br/>             NAH. I. 15. p. 177.<br/>             HAB. III. 11. p. 16. f.<br/>             ZACH. II. 4. p. 100. 109.<br/>             XIV. 4. p. 107. f.<br/>             MATTH. V. 25. p. 219.<br/>             29. f. p. 132.<br/>             38. ff. p. 132. f.<br/>             XXIII. 33. p. 171. f.<br/>             XXIV. 28. p. 156.<br/>             29. p. 85. ff.<br/>             MARC. XIII. 24. p. 85. ff.<br/>             LUC. X. 30. ff. p. 146. f.<br/>             XV. 13. ff. p. 10. f.<br/>             XVI. 1. ff. p. 145.<br/>             XVII. 29. p. 183. f.         </p> | <p>             XXI. 25. p. 85. ff.<br/>             JOH. XII. 25. p. 141.<br/>             XV. 1. ff. p. 80. 175.<br/>             XIX. 36. p. 140.<br/>             ACT. X. 12. 16. p. 61.<br/>             XII. 32. ff. p. 153.<br/>             ROM. VIII. 22. p. 72.<br/>             1. COR. II. 7. p. 51.<br/>             IX. 19. ff. p. 79.<br/>             XIV. 32. p. 200.<br/>             XV. 32. p. 57.<br/>             COL. II. 7. p. 193.<br/>             14. p. 52.<br/>             2. TIM. II. 1. 5. p. 80.<br/>             1. PETR. III. 3. p. 80.<br/>             19. p. 149.<br/>             V. 5. p. 80.<br/>             JVD. 13. p. 60. f. 164.<br/>             APOC. VI. 13. p. 163.<br/>             XI. 9. p. 215.<br/>             XVII. 16. p. 215.<br/>             XVIII. 19. p. 215.<br/>             XXI. &amp; XXII. p. 91. 144. f.         </p> |
|--|--|

\* \* \*

\* \* \*

\* \* \*

INDEX



# INDEX II. RERVM MAXIME NOTABILIVM.

- Abarbenel* notatur. p. 90.  
*Aben Esra* notatur. p. 89.  
*Abrahami* Philosophia. p. 39. f.  
*Accommodatio* Scripturae ad cap-  
 tum vulgi reiicitur. p. 60.  
*Aetiones* vetustae res alias occul-  
 te praemonuere. p. 53.  
*Aetius* Prophetici N. T. male  
 vulgo neglecti. p. 66.  
*Aegyptiaca* hieroglyphica p. 47.  
 eorum consensus cum em-  
 blematibus sacris. p. 155. ff.  
 qua cautione cum emble-  
 matibus conferenda? p. 171.  
*Aenigmata* maxima Judaeorum.  
 p. 18.  
*Affelmannus* notatur. p. 72.  
*Allegationes* num sint in N. T.  
 secundum sensum V. T. p.  
 177. f.  
*Allegoriae*, quas admittamus,  
 quas reiiciamus. p. 129. f.  
*Alligristae*, quinam maxime  
 fuerint inter Patres p. 125. f.  
 inter nostrates. p. 128. inter  
 Pontificios & Fanaticos. p.  
 128 eorum errores in quo  
 consistant? p. 125.  
*Amplitudo* sensus asserta. p. 23.  
*Analogia* fidei quid? p. 140. an  
 sufficiat ad defendendam  
 interpretationem? p. 130.  
 ansufficiens sit *απειροσ* figura-  
 ti sermonis? p. 135. f.  
*Anglici* emblematum scripto-  
 res. p. 214.  
*Antropomorphitae* reiecti. p. 83.  
*Apocalypsin* qui primi interpre-  
 tati ling. p. 204.  
*Aquae* emblema euoluitur. p.  
 178. quid apud Prophetas?  
 p. 220.  
*Aristoteles* notatur. p. 30.  
*Arnoldus* notatur. p. 83.  
*Ars moriensis* Christi. p. 175.  
*Augusta* Christi sponsa quae? p.  
 226.  
*Aurum* Ophirium quid? p. 226. f.  
*Autor* der Ungarischen und See-  
 vennischen unruhe notatur. p. 81.  
*Autor* Clangoris buccinae pro-  
 pheticae notatur. p. 90. 93.  
*Autor* Corporis Theologiae  
 notatur. p. 157. 171.  
 B  
*Baculus* Mosis. p. 222.  
*Barbarorum* prae Graecis prae-  
 rogatiua. p. 48. f.  
*Belgae* notantur. p. 159.  
*Bogannus* notatur. p. 4.  
*Boblius* notatur. p. 63. f.  
*Bovis* emblema distincte euol-  
 uitur. p. 22. f.  
*Boyllus* notatur p. 31.  
 Bra-





## INDEX

- Brachium Dei* quid? p. 220.
- C**
- Cabbalae* ratio. p. 194.  
*Caius* notatur. p. 204. f.  
*Calcatio* torcularis quid? p. 150. f.  
*Calix* Jehouae. p. 220.  
*Calixtus* notatus. p. 107.  
*Canum* emblema. p. 172.  
*Canticum* iam olim secundum diuersa ecclesiae tempora expositum. p. 207.  
*Capellus* notatur. p. 4.  
*Carpouius* notatur. p. 55.  
*Characteres* ipsius Spiritus S. quibus designatur emblema. p. 143. f.  
*Chiliasmus* reiectus. p. 107. eiusdem erroris fons p. 82.  
*Chrysostomus* notatus. p. 186.  
*Clauis* Prophetarum quae? p. 101. Prophetarum V. T. p. 177. f.  
*Clericus* notatur. p. 41. 44. 51. 78. 84. 176.  
*Cnursenius* notatur. p. 61.  
*Cocceius* notatur. p. 151. 156. Eiusdem expositiones emblematicae, p. 188. ff. Eiusdem nimium p. 189.  
*Contradictio* in Scriptura non temere statuenda. p. 141. f.  
*Copernicani* notati. p. 60.  
*Cornu* unde regiae dignitatis infigne? p. 155.  
*Cothmannus* notatur. p. 64.
- D**
- Decor* Messiae. p. 225.  
*Dei* nomen, angelo vel magistratui tributum, non est metaphora. p. 63.  
*Deusingius* notatus p. 67.  
*Dionysius* Alexandrinus notatus p. 204. f.  
*Dissensus* troporum in una oratione emblematica quae ratio? p. 26.  
*Diuites* populi. p. 227.  
*Domus* Dei. p. 220.  
*Draconitidis* opus emblematicum. p. 211.  
*Draschae* Iudaeorum. p. 192.
- E**
- Edom*. p. 220.  
*Effusio* Spiritus S. promissa. p. 28. an die Pentecostes plene completa? p. 24. f.  
*Emblemata* quid olim, quid nunc significant? p. 6. quomodo proprie differant a typis, parabolis &c. p. 17. ff. avulgaribus tropis. p. 20. ff. emblemata prophetica quid? p. 13. f. obscura simul & clara p. 38. unde eorum varii significatus? p. 158. quomodo vel symbolice vel hieroglyphice usurpentur. p. 154. emblemata in rebus asserta. p. 66. rebus inferiora. p. 30. 78. reciproca. p. 65. ridicula Pontii.



# INDEX.

- Pontificiorum. p. 84. emblemata historiarum a Patribus euoluta p. 205. f. Parabolarum otiosa reiciuntur. p. 8. ff. emblema signorum in sole, luna & stellis Matth. XXIV. 29. vindicatur. p. 85. 119. ff.
- Emblematum* praestantia prae hieroglyphicis Aegyptiacis. p. 156. eorundem certi sunt significatus. p. 154. 158. eorundem intelligendorum regulae praecipuae. p. 80. eorundem hodiernorum scriptores optimi, p. 7.
- Emblematica* Theologia est argumentatiua. p. 152.
- Emblematicarum* picturarum illustre exemplum. p. 69.
- Epistolae* Apocalyptricae, quae in iis rara adeo emblemata? p. 68
- Essenorum* studium emblematicum. p. 193.
- Eucherii* Lugdunensis liber spiritualis intelligentiae. p. 206. ff.
- Eunomius* notatus. p. 202.
- F.
- Fabulae* Judaicae. p. 106.
- Fanaticorum* *Ψευδερμηνειας πρωςου Ψευδος.* p. 93.
- Felgenhauserus* notatur. p. 93.
- Filia* quid in regno Christi. p. 227 filiae quid denotent Hebraeis p. 220. filiae Regum p. 226. filia Tyri. p. 227.
- Forerius* notatus. p. 83.
- Forsterus* notatus. p. 193.
- G.
- G.
- Gatakerus* notatus. p. 153.
- Geierus* notatus. p. 36.
- Generatio* filii Dei unde recte probetur? p. 149.
- Gladius* Messiae. p. 225.
- Gomarus* notatus. p. 44.
- Grotius* notatus. p. 177. 189. quomodo nostrates ad studium biblicum retraxerit. p. 3.
- Gurlerus* notatus. p. 151. eiusd. *Lexicon emblematicum.* p. 216. ff.
- H.
- Halloixius* notatus. p. 107.
- Hebraea* lingua, ei copia asserta. p. 78. Eius indoles. p. 199.
- Heilandus* notatus. p. 134. Eiusd. verum nomen. p. 118.
- Heinsius* notatus. p. 177. f.
- Hellenismus* distincte describitur. p. 56.
- Helcius* notatus. p. 91.
- Hierosolyma* quid in amplo sensu. p. 91. quid apud Prophetas. p. 220. f. gemmata ab Hieronymo reiecta. p. 106. f.
- Hilarius* notatus. p. 186.
- Homilarii* & Monachi quid noxae attulerint studio emblematico p. 126.
- Hoseas* quo sensu dicatur scortum duxisse? p. 141.
- Huetius* notatus. p. 79.
- Hulsius* notatus. p. 46.
- I.
- Iarchius* notatur. p. 39. 70.
- יָרֵאן* absolute positum semper gener.



## INDEX.

- generationem ex alterius es-  
 sentia notet? p. 149.  
*Imperitiae* studii prophetici quae  
 causae? p. 122. ff.  
*Ingenium* Iudaeorum an adeo ob-  
 brutuerit in Aegypto? p. 41. f.  
*Ioncurtius* notatus. p. 188. ff.  
*Iosephi* Philosophia. p. 41.  
*Israel* quid mysterii signet Pro-  
 phetis? p. 221.  
*Iudaei* notati. p. 81. 89. 97. 131.  
 133. 197. num apud eos nil sa-  
 ni inueniatur? p. 193. 198. Ve-  
 teres Christum Scripturae sco-  
 pum quaesierunt. p. 53. Eo-  
 rum duplex ratio interpre-  
 tandi. p. 195.  
*Iustinus* M. notatus. p. 202.
- K.
- Keslerus* notatus. p. 116. 178.  
*Kimchi* notatus. p. 38.  
*Κεληριον* primum ac praecipu-  
 um figurati sermonis. p. 136. f.  
 L.
- Latitudo* significatus in voce as-  
 ferta. p. 23. f.  
*Legis* Mos. duplex usus. p. 52. 62.  
*Lexicon* Apocalypticum. p. 213.  
*Litera*, quando ab ea receden-  
 dum sit? p. 68. f.  
*Locutiones* Scripturae singulis ac-  
 commodatae, tum scribenti-  
 bus, tum legentibus. p. 56. f. p.  
 79. f.  
*Longinus* notatus. p. 31. 35.  
*Lutherus*, ex eo Alphabetum em-  
 blematicum. p. 220. ff. Eius-  
 dem emblemata qui college-  
 rint. p. 209. f. Eiusd. inuectiua  
 contra Allegoristas p. 127. f.  
*Lux* quid signet stylo prophetico  
 p. 221, Lux Dei. p. 197.  
 M.
- Maimonides* notatus. p. 70.  
*Maria* Gen. I. 9. inepte quaesita.  
 p. 218.  
*Marshamus* notatus. p. 52. 171.  
*Meibomius* notatus. p. 45.  
*Melchior* notatus. p. 156.  
*Monachorum* spiritualium saeculo  
 XIII. institutum. p. 208.  
*Montes* quid apud Prophetas? p.  
 221.  
*Moses* libri Jobi autor. p. 42. fons  
 caeterorum Prophetarum. p.  
 43. N.
- Natura* gratiae subordinata. p. 74  
*Nepos* Aegyptius notatus. p. 205.  
*Neumannus* notatus. p. 12.  
*Nidi* apud Prophetas. p. 221.  
*Novitas* sententiae an suspicio-  
 nem praebet erroris? p. 223.  
*Nous* quid significet Patribus? p.  
 179.  
*Numerorum* prophetico-  
 rum do-  
 ctrina. p. 183.
- O.
- Oleum* alacritatis. p. 226.  
*Origenes* notatus. p. 202. 205.  
*Owenus* notatur. p. 194.
- P.
- Palatium* Christi. p. 228.  
*Parabola* Iudaeorum non ad lite-  
 ram intelligendae. p. 45. Tal-  
 mudicae



# INDEX.

- mudicae & Christi collatae.* p. 196. Talmudicarum consensio cum illis Christi. p. 55.  
*Parabolica* Judaeorum religio. p. 54.  
*Patres* primi, unde tam exigua in eorum scriptis emblematum vestigia? p. 204. cur adeo felices in evoluendis emblematis non fuerint? p. 200. eorum regulae emblematicae. p. 179. 203. eorum demonstrationes emblematicae. p. 185. f. eorum error communis de fine mundi instante. p. 202. eorum imperitia linguae Hebraeae. p. 202. eorum notae characteristicae, Scripturae appositae. p. 203.  
*Peccatum* an possit habere rationem typi? p. 179. f.  
*Phantasmata* sensuum, quatenus ab iis pendeant ideae diuinarum? p. 28.  
*Philosophia* Scripturae substrata. p. 59. f.  
*Phoenix* an afferatur in Scriptura? p. 165.  
*Pii* cur principes vocentur? p. 228.  
*Plato*, num ex eo desumerit aliqua Christus? p. 55.  
*Pontificii* notati. p. 84. 93. eorum nugae in emblematis exponendis. p. 154.  
*Postillae*, ab earum abusu dehortatio. p. 147.  
*Postillatores* communes impugnant. p. 85. eorum errores in cumulo. p. 219.  
*Praedicata*, quomodo ex iis dignosci emblemata queant? p. 137.  
*Pretiosa* Christi. p. 226.  
*Profectum* cognitionis haberi debere. p. 222. f.  
*Prophetiae* optima interpretatio. p. 162. an omnes secundum literam interpretandae? p. 87. f.  
*Propheticus* stylus qualis proprius sit? p. 5. 112. 117.  
*Propheticae* dictionis convenientia cum poetica. p. 4. 31. 35. 44. 167.  
*Psalms* XLV. ad nuptias Borussiae accommodatus. p. 224.  
*Psalms* CIX. superstitio circa eum reiecta. p. 71.  
*Pulchritudo* Christi. p. 224. 227.  

Q.

*Quaestuosus* quid stylo diuino? p. 221. R.  
*Rabbini* caeteris praestantiores. p. 199. quinam ex iis primi sapere coeperint? p. 197. 199.  
*Rabbob.* p. 196. f.  
*Regnum* Christi oeconomicum quando coeperit? p. 54. f.  
*Rerum* Judaicarum notitia quid conferat ad emblematicum studium? p. 168.  
*Risus* Dei quid? p. 221. f.  
*Roris* varia significatio. p. 167. S. Sa.



# INDEX.

- |   |   |
|---|---|
| <p style="text-align: center;">S.</p> <p><i>Sagittae</i> Christi. p. 165. 225,<br/> <i>Saldenus</i> notatus. p. 179.<br/> <i>Sceptrum</i> regni Christi quid? p.<br/>         222. 225.<br/> <i>Schickardus</i> notatur. p. 16.<br/> <i>Sepbirae</i> Judaeorum quid signifi-<br/>         cent? p. 194.<br/> <i>Sheringhamus</i> notatus. p. 55. 196.<br/> <i>Socii</i> Christi quinam? p. 226.<br/> <i>Solis</i> emblema euoluitur di-<br/>         stincte. p. 166.<br/> <i>Solium</i> Christi. p. 225.<br/> <i>Somnia</i>, cum iis conuenientia<br/>         emblematum. p. 40. f. 49. ex<br/>         iis declarantur emblemata. p.<br/>         49. 215.<br/> <i>Spanhemius</i> notatur. p. 83.<br/> <i>Spencerus</i> notatur. p. 50. 52. f. 171.<br/> <i>Spinoza</i> notatus. p. 43. f. 84.<br/> <i>Spiritualia</i> quam difficile co-<br/>         gnoscantur. p. 28. 74.<br/> <i>Stylus</i> scribarum. p. 224. stylus<br/>         humanus Es. VIII. 1. vindica-<br/>         tur a <math>\Psi</math>εδερμηνεϊα Huetii. p.<br/>         78.<br/> <i>Surenhusius</i> notatus. p. 71.<br/> <i>Συγκαταβασις</i> diuina p. 58. 75.<br/>         ἢ. <i>συγκαταβασις</i> exemplum<br/>         humanum in Luthero. p. 75.<br/> <i>Symbolum</i> quid olim notauerit?<br/>         p. 6. f.<br/> <i>Symphoniaci</i> psalmi p. 11, f.<br/> <p style="text-align: center;">T.</p> <i>Targumim</i> scopus. p. 195.<br/> <i>Templum</i> Ezechielis. p. 118.</p> | <p><i>Termini</i> extra Scripturæ qui-<br/>         nam? p. 132.<br/> <i>Terribilissimarum</i> rerum notiones<br/>         amoris documenta p. 77. f.<br/> <i>Tertullianus</i> notatur. p. 206.<br/> <i>Theodorus</i> Mopsuestenus notatus.<br/>         p. 206.<br/> <i>Theologiae</i> tres partes. p. 158.<br/> <i>Theologorum</i> scriptis non unice<br/>         inhaerendum. p. 34. f. nostro-<br/>         rum antiquorum merita in<br/>         exegesi p. 2. f. 32. regulæ em-<br/>         blematicæ p. 187.<br/> <i>Theophilus</i> Antiochus notatur. p.<br/>         202.<br/> <i>Theoristae</i> in Anglia notati. p. 42.<br/> <i>Ticonii</i> regulæ mysticæ. p. 181.<br/> <i>Tortor</i> damnatorum quis futu-<br/>         rus? p. 219.<br/> <i>Typi</i> etiam dantur in N. T. p. 211,<br/>         eorum scriptores e nostrati-<br/>         bus p. 210.</p> <p style="text-align: center;">V.</p> <i>Versio</i> Pentateuchi ante LXXII.<br>asserta. p. 46.<br><i>Vestes</i> Christi. p. 226.<br><i>Vestes</i> sponsæ Christi. p. 227. f.<br><i>Visiones</i> hodie dari posse. p. 25.<br><i>Vieringa</i> notatur. p. 264.<br><i>Vossius</i> notatus. p. 194. <p style="text-align: center;">W.</p> <i>Wittichius</i> notatur. p. 60. <p style="text-align: center;">Z.</p> <i>Zemab</i> quid? p. 222.<br><i>Zopbnath</i> Panach quid? p. 41. |
|---|---|

† † †

*quid*













The  
①



Landesbibliothek Oldenburg

Keenigsmat

elavis

Prophetica

neol II

B n

25